

IN  
QVINDECIM  
PSALMOS GRADV.  
VM EXPLICATIO.  
NES BREVES.

32.

Per

D. IOHANNEM WIGAN-  
dum Episcopum Pomezaniensem.



REGIOMONTI BORVS-  
fiæ, Typis Georgij Osterber-  
geri. Anno 1577.

U. 32, 496



IN  
QVIND ECIM  
PSALMOS GRADV.  
VM EXPLICATIO  
NES BREVES.

Per

D. IOHANNEM WIGAN.  
cum Episcopo Pomezanienſi.



REGIONOMONTI BORVS.

ſua Typis Georgij Oberber-  
geri Anno 1577.

Pa. 6. 11. 762 ad. 3

n. 493236

CITATIO

PRVDENTISSI-  
MIS VIRIS, DOMINIS CON-  
SVLIBVSET SENATORIBVS

REIPVB: REGIOMONTANÆ VETE,

ris Oppidi, Dominis & ami-  
cis suis charissimis.

G. per CHRISTVM.



**O**Mnia quæcunq; vult Domi-  
nus, facit, in caelo & in terra, in mari  
& in omnibus abyssis, inquit Psalmus  
135. Hæc grauißima sententia ani-  
mos nostros, aduersus illa ingentia pe-  
ricula, quæ passim in orbe terrarum Ecclesiam Dei, &  
ipsas quoq; politias circumsonant, munire debet. Præ-  
dixit enim Iesus Christus, Omniscius Deus, postrema  
Mundi tempora fore turbulentiora & asperiora,  
quàm ulla unquam antea fuerunt. Nec dubium est,  
nos in fine seculorum, Deo sic ordinante, uitam nunc a-  
gere. Nam à tempore quo ista filius Dei Saluator no-  
ster prænuñciauit, effluerunt anni mille quingenti  
quadraginta tres. Ac certum est, tempus decurtatū

*Deo est omnipotens  
go fuit s' in  
habet tempora*

PRÆFATIO.

*Malis suis feruili  
postremi, a deo*

iri propter electos, ut Christus inquit. Videmus autē ob oculos, passim in orbe terrarum uacillare religionem ueram: inualescere petulantiam fingendi ac defendendi uaria dogmatum portenta: crescere atroces persecutiones piorum: Epicureismum & prophanitatem, longē lateq; dominari: Imperia Mundi hinc inde nutare: peccata omnis generis passim, ueluti diluuium quodā inundare: Pœnas atq; ultiones diuinas, quocunq; locorum te conuertas, sese exerere. Pia igitur pectora ista intuentes, non possunt non mœrere, dolere, flere, gemere, & de firmis consolationibus dispicere.

Hic igitur in conspectu uersetur illa, quam initio recitauimus, illustris & præclara sententia. *Viuit enim adhuc ille Dominus, qui Omnipotens est, is nouit ista omnia, is moderabitur ista omnia.* Nam magnifica est hæc oratio: *Omnia quæcunq; uult, facit, & quidem in uniuerso mundo.*

Sed cur ille sinit mundum tantopere commoueri? Cur tanta scelera, tantas grassationes tam diu in mundo patitur? Cur sinit ciues suæ Ecclesiæ tam horribiliter excruciaci? Cur impunitatem Diabolo & eius mancipijs, tam diuturnam permittit? Habet ille  
suum

PRÆFATIO.

suum consiliū, & quidem magis ut puniat impios, & pios ueluti aurum in igne luculentius probet atq; expurget. Non autem in perpetuum istas horribiles confusiones tolerabit, sed faciet quæcunq; uolet, in cælo & in terra. Sustentabit suæ Ecclesiæ ciues, inter tempestates huius Mundi quantumuis sæuas, usq; ad horam illam, qua hic mundus conflagrabit. Et articulus fidei, hoc est, res indubitata est, breui futurum esse iudicium uniuersale in nubibus, ubi etiam faciet omnia, quæ uult, hoc est, impios omnes cum Cacodæmonibus omnibus deturbabit in æternas poenas, quæ longè maiores & penetrantiores erunt, quàm ullus hominum cogitando concipere, aut lingua explicare ualeat. Pios uerò in æternam uitam traducet. Ibi uerò innotescet, quanti ille Omnipotens Christus suas ouiculas fecerit.

Sunt itaq; animi nostri hisce consolationibus, re-  
gente spiritu sancto, firmandi. Vbicunq; locorum in his terris futuri sumus, & quantæcunq; nos tempestates excepturæ sunt, tamen in manu Omnipotentis Christi erimus, is faciet omnia quæcunq; uult. Ionam in uentre Ceti: Daniele in specu leonum: Socios ipsius in ardentis camino conseruare potuit. Omnia enim quæcunq;

) ( 5

uult,

Tisch. in c. 17

Consolones

PRÆFATIO.

vult facit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus  
 Abyssis.

Regula autem pietatis hæc est: Commenda Do-  
 mino viam tuã, & spera in eum, & ipse faciet. *Psalmus 37.*  
 Nouit ille omnia, priusquam ab eo petamus. Omnes e-  
 nim capillos capitis nostri numerauit. Sed tamen vult  
 nos ipsi hunc honorem exhibere, ut necessitates nostras  
 ipsi exponamus, et auxilia expetamus. Sed quia in cur-  
 su huius uitæ, non omnia habemus perspecta, quid nobis,  
 quid alijs expediat, ideo fides sese totũ Deo tradat atq̃  
 permittat, hac indubia spe, quod is certò nobis sit opem  
 laturus, quãdo et quomodo ipsi uisum fuerit. *Infalibilis*  
 , enim est ista promissio: Et ipse faciet, hoc est, ipse mode-  
 rabitur omnia: disponet omnia: ad eventum bonũ dedu-  
 cet omnia. *Etsi igitur talia incidunt, quæ sunt inextri-*  
*cabilia humanis consilijs aut uiribus, tamen statuamus,*  
*Deum, cui omnia commendauimus, pro sua misericordia*  
*& potentia, omnia rectè facturum esse. Nam immota*  
*est hæc sententia: Omnia quæcunq̃ uult Dominus, facit*  
*in cœlo & in terra. Nulla igitur creatura huius*  
*Domini uoluntatem impediet: Nulla creatura eius*  
*propositum euertet.*

Vobis

## PRÆFATIO.

Vobis autem uiri amplissimi & prudentissimi, uisum est hunc Commentariolum publicè inscribere: Primum, quia in uestra Repub: hospitium præbetur Iesu Christo, qui per ministeriū uerbi diuini, homines docet, conuertit, sanctificat, ut Deū rectè cognoscant, colāt, & hæredes uitæ æternæ efficiantur. Est autem hic præcipuus politiarum finis, ut uerbū Dei incorruptū in cœtu hominum sonet, & plantæ cœli crescant. Nequæ ulla dignitas politiarum maior est, quàm quòd in ea extat sana doctrina diuinitis tradita, & aperte refutantur corruptelæ, quas inimicus ille homo, de quo Christus Ecclesiam præmonet, subinde solet hinc inde seminare atquæ dispergere. Deinde, cùm primum in has terras ante quadriennium, Deo sic regente, ueni, primam sacram concionem in uestro oppido habui, et uestrum animum erga me amicum perspexi. Delector quoquæ adhuc illa laudabili frequentia uestrorum ciuium, in audiendis publicis concionibus. Volui igitur qualecunquæ testimonium, meæ erga uestram Repub: & Ecclesiam beneuolentiæ extare. Ac spero pijs non ingrata more istam licet breuem istarum commonefactionum de sententia, ordine & doctrinis præcipuis horum pulcherrimorum

PRÆFATIO.

cherrimorum & præstantissimorum Psalmorum le-  
ctionem. Filium Dei Dominum nostrum IESUM  
Christum oro, ut uestre Ecclesie, totiq; Reipubli-  
cæ clementer benedicat, ut in salutari tranquillitate,  
omnes ciues Domino Deo nostro seruiant, & æter-  
na beatitudine, nouissima tuba clangente, fruantur.  
Benè ualete.

Johannes Wigandus  
Episcopus Pomez-  
nienſis.

CXX. PSALMVS.



I.

# CXX. PSALMVS

## CANTICVM GRA- DVVM.



*Q*uindecim Psalmi hunc titulum gerunt: Canticum graduum siue ascensionum. Causam uerò neq; posteriores Iudai, neq; alij certò explicare possunt: Alij referunt ad instrumentum seu ad Melodian: Alij ad gradus, quo ascendebatur in Chorum, quòd quolibet gradu saluus sit decantatus: Alij ad Chorum ipsum. In eo autem consensus est, loco eminentiori solitos esse decantari.

Est autem hic Psalmus Oratio ardens, contra linguam mendacem & dolosam, hoc est, contra calumnias, & hypocritarum simulationes fallaces, & morsiones uenenatas.

Occasio erat, aula regis Saulis, in qua Dauid expositus erat criminationibus plurimorum, & penè nulli quantumuis adblandienti, fidem habere poterat. Cum autem Dauid sit Ecclesiæ typus, rectè hæc oratio aduersus hæreticos & hypocritas dirigitur.

Ordo hic est. Petit plena fiducia, etiam prioribus exemplis confirmatus, se liberari à calumniatoribus & hypocritis. Deinde erigit ac solatur sese, quòd aduersarij non possint se opprimere ac perdere. Postea arumnas suas commemorat, atq; quòd foris in exilijs & domi inter eos qui amicitiam simulant, sit in maximis angustijs & periculis. Deniq; testatur, se innocentem esse, ac materiam litium & offensionum ostendit, nempe, locutionem seu confessionem suæ fidei.

Ad Dominum) Enthymema est. Antea me in periculis & arumnis inuocantem exaudisti. Ergo nunc quoq; te pleniori fiducia inuoco, nec dubito, te opem mihi laturum esse. Fundamentum igitur suæ orationis præmittit. Enallage porro personæ frequens est.

A

Domine)

## IN I. PSAL. GRADVVM

Domine) Propositio directa & expressa. Peto à calumnijs & dolis liberari. Inuocat autem Iehoua, non aliud Numen, aut Sanctū mortuum. Animā porro suam petit liberari, Quia calumnia perturbat sapientem, & frangit robur cordis eius, ut inquit Salomon Ecclē. 7.

Calumnia.

Gene. 37.

Iohan. I.

Labia mendacia) Sunt calumniatores. Est autem calumnia, *Μαγολα*, uel fingere crimina contra alios, uel rectē dicta aut facta, aliquo fūco criminari, ad alios deformandos, ledendos, aut impediendos. Sic criminantur Ioseph fratres, quōd sit superbus, parentum contemptor. Iohannem Baptistam Pharisei criminantur, quōd sit apostata, inuouator religionis, Magistratum deformat, &c.

Lingua dolosa, est sermo simulans quidem beneuolentiam, sed perniciem struens. Dominantur autem in aulis plerunq; calumnia, & linguæ fallaces. Erat autem Dauid in regem consecratus, sed priusquam in thronum collocaretur, ea ipsa spes ei egregiē (quod dici solet) saliebat. Nam in periculo mortis est singulis momentis. Sed Deo protegente, nihilominus ut palma, sub pondere crescit & efflorescit.

Quid dabit) Lucta in oratione & consolatio describitur. Ego, inquit, delectus sum in Regem, ex diuina reuelatione. Ergo faciant, fingant, moliantur quicquid uelint, tamen diuinum decretum non mutabunt. Fide igitur in reuelaram Dei uoluntatem sese reiiciens, statuit, Deum esse potentiorē suis hostibus, & omnes capillos suos numeratos esse. Sit igitur quisq; de sua uocatione certus, nec criminationes & machinationes improborum extimescat.

Est ut) Licet, inquit, calumnia uehementer uulnerent, tamen nihil proficiunt. Homo erat Dauid, & sycophantarum morsus in corde suo sentiebat. Sed tamen Deo protegente, stauiebat, se eis opprimi non posse, *Gott würde hindurch helfen.*

Sagittæ) Similitudinibus calumniæ penetrantes corda bonorum exaggerantur.

Ignis in Iuniperis) Flammæ citò concipit propter pinguidinem Iuniperis, & uehementer ardet. Dicitur, me quoq; pruna ex iuniperis

peris

peris ignem conseruare dicuntur, si recte contegantur. Sic calumnia diu durat, & relinquunt aculeos in hominum cordibus, sicut ille dicebat: Calumniare audaciter, quia semper aliquid haeret. Ac nouit Diabolus eiuſq; ministri, personis deformatis, postea qualibet alijs instillari posse.

Plutarchus  
de discrimine  
Assen: &  
Amici.

Hei mihi) 2. Neceſſitas. Exilia crebra & dura iustineo inter homines profanos feroces & saeuos.

In Mesech) Per comparationem haec accipienda sunt, quia Dauid in ea quidem remota loca, quantum ex historia constat, non peruenit, hoc est, tanquam in Mesech & Kedar exularem. Mesech autem filius Iaphet est, Gen. 10. Nomen habet à trahendo & pergendo: Vel quia arcus trahabant in uenatione & bello, in ea familia: Vel quia sua turguriola circumuehebant, & nusquam habebant sedem fixam. Constat autem, Moschos hodie adhuc arcibus uti, & Tartaros sua tabernacula hinc inde uehere.

Mesech.

Kedar filius Ismael, Gene. 15. significat Arabiam. Sunt autem Kedar, & ipsi Ismaelita uouades, & utraq; gentes sunt ferae, immanes, praedationibus operam dantes adhuc hodie. Intellexerunt autem semper pij, Ecclesiam Dei, praesertim in hac mundi senectute, tristia habituram esse exilia, his ipsis populis eam subinde infestantibus & opprimentibus. Et quidem uidemus hodie, pro dolor, Turcas, & qui ex Tartaris oriundi sunt, Orientalem & Occidentalem Ecclesiam penè oppressisse. Moschi autem similiter latius progrediuntur, hominesq; in suas uasitates abducunt.

Molesta) 3. Neceſſitas. Conuersatio cum ijs, à quibus nihil pacifici expectandum erat. Significat enim, se tanquam inter Crocodylas & leones habitare. *Char sich zu Keinem guts versehen.*

Oderunt pacem) Rex Saul, licet interdum mitesceret nonnihil, tamen odio Dauidis, mox rursus ei necem struit. Qualis autem erat Rex, tales erant & aulici, ad nutum regis animum ad singulas horas mutantes. *Sic Können nicht friede halten.*

## IN I. PSAL. GRADVVM

Ego pacificus) Allegat testimonium conscientiae. Nihil, inquit, moueo extra uocationem, non affecto regnum, neminem dicto factioe lado, uito offensiones, tolero iniurias tranquillitatis gratia.

Sed) Exprimat fontem odiorum, nempe suam doctrinam cuiusq; confessionem, & quod impia dogmata, aut nefarios conatus, probare non posset. Nam pij & ingenui pectoris erat, ueritatem non calare. Eam uero piam & decoram libertatem, neq; Rex impius, neq; eius Gnathones, neq; alij filij huius seculi tolerare poterant. Mox enim superbia, seditionis & aliorum facinorum Dauidem insimulabant, & uita ipsius insidiabantur, id quod historia ipsius testatur.

## DOCTRINÆ.

1. In periculis atq; angustijs, ad orationem ueluti ad sacram ancoram, confugiendum esse.
2. In oratione colligendas esse promissiones & exempla, etiam nostra, ut fides exscitetur, & petat ardentius, atq; certius expectet auxilium. Nam qui dubitanter inuocat, similis est uiro faciem suam in unda uentis turbata, consideranti, ut Iacobus inquit. Nemo autem est, qui non possit plurima exempla mente recordari, ubi à Deo sit auditus post preces atq; adiutus.
3. Certi aliquid à Deo petendum esse. Et quidem Necessitas ipsa precationem seriam gignit. Absq; autem necessitate orare, est inanis battologia.
4. Quales pestes in aulis plerunq; contra pios & rectorum corde grassentur, nempe, labia mendacia, & lingua dolosa. Itaq; aduersus sycophantas & hypocritas sese omnes boni muniant. Imò & in Ecclesia eiusmodi Zizania reperiuntur, quibus frumentum Dei, hoc est, pij duriter excarnificantur.
5. Deo fauente & protegente, nec sycophantas, nec hypocritas opprimere posse pios.

Calumniæ

Aula

6. Calumnia descriptio, quod sit sagitta acuta, emissa ex robusti manu, & ignis sauiens in iuniperis, qui difficilimè potest extinguì, ac diu durat.

Calumnia

7. De exilijs piorum inter gentes barbaras & crudeles. Et inprimis hoc uaticinium Ecclesiam huius postremi temporis attingit.

8. Pios interdum maximis cum mœroribus & doloribus, inter malos ueram doctrinam infestantes, uiuere. Sed Deo obtemperandum est, si mutari ratione uocationis non potest, & retinenda est bona conscientia ac confessio.

9. Ecclesiam Dei, hoc est, omnes pios debere esse studiosos pacis, sicut Paulus hortatur: pacem, inquit, habentes cum omnibus, quantum fieri potest, hoc est, non sunt turbæ concitandæ, nihil ui agendum, sed cuiuslibet tribuendum quod suum est, iniuriæ etiam non pauca ferendæ sunt, propter communem tranquillitatem Ecclesiæ.

10. Sed tamen confessionem doctrinæ diuinæ, non esse tacendam docet, idq; ratione præcepti diuini, & debito modo. Nam nequaquam est pacis studium, abscondere lumen ueritatis diuinæ sub modium, Nec sunt approbanda scelera, ut mendacia, iniusta iudicia, tyrannides, &c.

11. Confessiones piorum comitari odia potentum, & persecutiones atroces. Itaq; turbæ, quæ ex confessione rectæ doctrinæ oriuntur, non sunt ueritati, neq; eius assertoribus, sed impijs potius & profanis mentibus attribuendæ, quæ ueritatem iniuste oppugnant. Hæc commonefactio necessaria & utilis est.

CXXI. PSALMVS.

EVcheticus & didacticus est hic Psalmus. Nam petit auxilium & protectionem diuinam in summis periculis, & colligit firma fundamenta, quibus mens anxia & destituta mundanis præsidijs, sese erigit &

## IN 2. PSAL. GRADVVM

git & sustentat, & alacrius opera uocationis exequitur. Videtur autem scriptus in exercitu & maximis angustijs.

Leuau) Primus & secundus uersus propositionem constituunt, & quidem Antithesi quadam.

Mont. s. In montes) In summis periculis, ubi nos humana consilia destituunt, solemus huc atq; illuc despicere, considerare hæc atq; illa, librare nostra & aliena. Nam talis est omnium nostrum infirmitas, ut expectamus humanam opem, qua exuti, trepidamus. Hic gestus aut lucta cordis, isto loco describitur. Montes phrasi Scripturæ significant, quicquid robur & præsidium continet. Sic dicimus: *O wo sol ich nu aus; Wo ist nu hülffe:*

Auxilium) Antithesis, siue correctio Spiritus aduersus carnem, in sacris subinde ebullientem. Est autem certa & ingens uictoria, animo profus à mundanis spectris remoto, tota cordis fiducia Deum complecti. Nam si hoc factum fuerit, noua lux & uita cordi affulgebit.

A lehouah) Significanter dicitur, hoc est, à uero Deo, & non ab homine, aut uiribus eius.

Qui fecit) Ratio istius fiducia, quia lehouah iste, quem fide complector, conditor & conseruator cæli & terræ, omnipotens est. Præstat igitur potentia omnibus creaturis, imò omnes creaturas habet in sua manu, ac potest omnia quæcunq; uult. Imò, cum sit meus creator, Ideo me curat & sustentat.

Firmare pe-  
des alicuius. Non dabit) 2. Ratio Regit totius uitæ cursum, & dat robur, successum & durationem in functione. Opponitur autem Nutationi & lapsui, ubi uidelicet singula momentis metuenda est excussio, fuga, exilium, oppressio tota. Firmare igitur pedes alicuius, est eum tueri, conseruare in uocatione, & eius operibus. Huc pertinent phrasæ: *Pes meus stetit in directo*, Psal. 26. Item: *Custodias pedes meos à lapsu*, Psal. 56. 115. Item: *Mei pedes penè moti sunt*, Psal. 73.

Non dabit) Enallage temporis, id est, non dat. Hoc autem habet ex promissionibus diuinis.

Neq;

Neq̄ dormiet) 3. Ratio fidei, quia Iehoua custodiens pios, non dormiat. Estq̄ duplex consolatio. Primum, quod Iehoua sit CVSTOS credentium. Deinde, quod sit VIGILANTISSIMVS custos. Est autem custodis officium, gregem suum nosse, amare, prospicere ei de uictu, & de pace atq̄ incolumitate, & arcere omnis generis pericula & iniurias, quas alioquin ouiculae non ualent propulsare. Quid autem suauius & plenius consolatione dici potest, quam quod ipse Iehouah sit CVSTOS noster? Opponitur autem isti tentationi, quasi nos orbi ac deserti simus, & omni prorsus auxilio destituti. Statuamus igitur, Deum nobis esse propinquissimum in afflictionibus & periculis, sicut sonant dulcissima promissiones: Cum ipso sum in tribulatione. Item: Non relinquam uos orphanos. Psal. 91. Ioan. 14.

Alteram consolationis partem urget atq̄ exaggerat. Ecce, inquit, non dormit, &c. Et quidem tertio repetit atq̄ inculcat, Neq̄ id facit frustra, sed opponit illi tentationi, quod Deus uidetur nos negligere, quia pericula ingrauescunt, & in ipsis faucibus mortis haerere uidemur. Haec tentationes pulchre depinguntur in discipulis Christi, quando Dominus in nauicula, horisona tempestate ingruente, dormit, & ipsi clamant, Domine salua, perimus. Qua quidem de causa, ipsorum infirmitatem in fide reprehendit. Statuamus igitur, Christum adhuc nobiscum esse, cernere omnia, non deserere nos, & nequaquam neglecturum esse ipsa momenta temporum. Matth. 8.

Custos Israel) Procul dubio testatur Spiritus sanctus, filium Dei non unius tantum Davidis solum, sed totius quoq̄ Ecclesiae custodem esse, nec esse personarum acceptorem.

Dominus umbra) 4. Ratio. Iehouah est protector in ijs necessitatibus, ubi neq̄ nos ipsos possumus tueri contra pericula nos obruentia, neq̄ uspiam locorum prospicimus defensionem. Respicit autem ad educationem populi ex Aegypto. Et in sacris frequentissime per Metaphoram, aestus significat afflictiones. Umbra uero defensionem & recreationem seu consolationem completitur. Psal. 18: Sub umbra omnipotentis commoratur.

Aestus.  
Umbra.

Per

## IN 2. PSAL. GRADVVVM

Per diem) Explicatio, estq; comparatio. Solis aestus in oriente, est grauis & intolerandus. Inde sub æquinoctiali sunt Trogloditæ, in subterraneis locis habitantes. Significantur autem externæ & manifestæ uolentiæ, quibus pij infestantur, Ut sunt minæ impiorum, persecuciones, bella, proscriptiones, spoliationes, conuitia. Luna autem radij nimia humectatione cerebris humanis nocent. Vnde periculosum est, dormire in radijs Luna. Significantur autem uel clandestinæ insidiæ & machinationes contra pios, uel hypocritarum doli, sicut supra Psal. 91. de timore nocturno, & peste grassante in tenebris dicitur.

Psal. 39.

Dominus custodiet) 5. Ratio. In omnibus periculis, & potest & uult te custodire & conseruare. Opponitur autem tentationis, de multitudine & magnitudine periculorum, in quibus ratio humana putat de nobis actum esse. Sed fortis sonitus aquarum, Verum fortior in excelsis Dominus, inquit Dauid. Hæc autem & sequentia, aliâs precatiuè, seu tanquam uotum accipiuntur. Sed nos in textu consistimus, qui in futuro sonat.

Custodiat animam) 6. Ratio. Ipse totam uitam conseruabit & custodiet, quia ipse uitam nobis dedit. Ergo in ipsius manu est. In ipso sumus, uiuimus & mouemur. Omnes capilli capitis nostri sunt numerati. Viuimus sine dubitatione sapius, præter causas naturales. Non igitur citius nos occident hostes nostri, quantumuis scæui, quàm creatori nostro Iehouæ uideatur.

Esai. 46.  
Egredi.  
Ingredi.

Exitum tuum) 7. Ratio. Deus uitæ tuæ cursum reget, & custodiet te perpetuò, non deseret te. In Esaia suauissimè dicitur, uiq; ad senectam ego gestabo. Sumus enim in ipsius manibus. Phrasis egredi & ingredi, significat opera uocationis, quæ in uno tantum loco perfici nequeunt. *Der Mensch mus webern/ vmbgehen.*

Neesse habet Rex aut Imperator bella gerere, aut circuire, & suos subditos uisitare. Oeconomo multa domi, multa foris expedienda sunt. Sic de alijs.

Doctrina



## DOCTRINÆ.

1. De lucris carnis & spiritus in Sanctis. Nam caro periculis territa, ualde sollicitè hinc inde auxilia mundana quæritat, priusquàm sese totam ad Deum conuertat.

2. Tantum à Iehoua pendere nostrum auxilium. Ad eum igitur confugiendum est.

3. Iehouah & posse & uelle nobis opem ferre, quia sit creator cæli & terræ, hoc est, omnes creaturas teneat in sua omnipotenti manu, easq; moderetur omnes, pro sua liberrima uoluntate.

4. Pedes hominum stabiliri à Iehoua, hoc est, uocationes & durationes earum. Cuilibet enim suum cursum præfixit, & imprimis fidei confirmat & conseruat, quàm diu quidem ipsi uidetur, inuitis portis inferorum.

5. Iehouah esse custodem Ecclesiæ suæ, & quidem uigilantissimum. Non igitur dubitandum est, quin uideat nostras afflictiones, & eas moderetur. Imò tenet nos in sua manu, & nos fide ipsius corpori inserti sumus.

6. Sub umbra omnipotentis, nos commorari, qui omnem æstum, hoc est, omnis generis afflictiones & insidias uelit discutere.

7. Omnis generis mala Deum propulsaturum esse. Non enim possent ulli pii in hoc mundo esse superstites, Deo non eos custodiente.

8. Vitam nostram in manu Iehouæ, non in nostra neq; aliorum esse.

9. Vniuersum uitæ nostræ cursum usq; ad finem, à Deo clementer regi.

IN 3. PSAL. GRADVVVM

CXXII. PSAL.

MVS.

**E**Vcharisticus & Eucharisticus est hic Psalmus. Predicat enim lato corde ingentia Dei beneficia, quod Ecclesiam & politiam constituit & conseruat, ac docet de utriusq; fine. Exuscitat etiam ad preces pro Ecclesia & politia faciendas, estq; ipse  $\epsilon\gamma\alpha\chi\theta$ , fausta utraq; toto pe-  
tore precans.

Partes igitur habet tres.

1. Est gratiarum actio, de constituta Ecclesia & politia.
2. Doctrina de fine politiarum & Ecclesia.
3. Precatio pro politia & Ecclesia prosperitate.

DE PRIMA PARTE.

**L**atus Pro Ecclesia constitutione lata. Et est ardens gratiarum actio. Occasio erat, quod Arca Domini esset in ciuitatem Dauid apportata & collocata, qua haecenus tanquam in peregrinatione subinde loca mutarat. Deinde, quod Dauid erat promissio facta, in Ierusalem esse edificandum templum, in qua Arca suam haberet mansionem, & sacrificia iuxta ordinationem Dei fierent. Hac quia nulli alij genti, in toto terrarum orbe exhibebantur, ideo merito tantopere exardescit spiritu sanctus uir, & latissima uerba profert, seseq; & alios ad celebrationem tanti beneficij Dei accendit. Nos, & si de certo loco non habemus expressam Dei promissionem, tamen laetemur non mirus quam Dauid, quod etiam apud nos est constituta Ecclesia Christi, luce doctrinae sacrae, & Sacramentorum à Christo traditorum, pulsas tenebris gentibus & Papsificis. Nullum enim in his terris maius beneficium Dei hominibus contingere potest.

potest Nam qui non est in Ecclesia Dei, est in regno Satanae, peccati, mō-  
ris & inferni, quantacūq; gloria aut uirtutibus excellat.

**Dicta)** Dauid erat Propheta Domini, ac singulares ac luculentas  
habebat promissiones.

**Domum)** In specie hic locum designat, ubi Arca Domini habi-  
tabat, & ubi templum erat extruendum. Causa erat, quia Deus uolebat  
omnium mortalium mentes atq; oculos in eum locum intentos esse, ubi  
Messias esset sua passione & resurrectione totum genus humanum à pec-  
catis & morte redempturus. Psal. 26. sic orat: Vnam petij à Domino,  
hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ,  
ut uideam uoluptatem Domini, & uisitem templum eius. Porro in genere  
Domus Domini significat locum quemlibet, in quo uerbum Dei purè Domus Do-  
traditur, & sacramenta Christi rectè administrantur. Nam dulcissimè mini.  
inquit Christus, Vbi duo aut tres conuenerint in meo Nomine, ibi ero in Matth. 18,  
medio eorum. Sic nos in domum Domini imus, quoties ad audiendas sa-  
cras lectiones in templis & scholis conuenimus. Estq; insignis felicitas,  
Quia non omnibus hominibus hoc datur.

**Stantes)** Pro politia, in ipsa Ierusalem constituta, gratias agit.  
Nam uolebat Deus hanc Ciuitatem munire atq; extollere, primum pro-  
pter templum, quod eo loco extrui uolebat, idq; propter Messiam ibi re-  
dempturum genus humanum, uti diximus. Deinde etiam, ut esset Arx &  
protectio omnium reliquarum ciuitatum Israeliticarum. Ideo erat sedes  
regni. Pulchrè autem coniungit sedem Dei & sedem politia aut regni,  
Quia politia debent esse hospitia Ecclesie, & propter eam consistunt po-  
litia, ac dum Arcam fœderis apud se habent, sunt felices. Ea uerò amissa  
tandem pereunt.

**Stantes)** Firmitatem & stabilitatem, imò & florentem reipub-  
licam celebrat. Opponit autem prioribus fluctuationibus. Nam Dauid 2. Reg. 5.  
Iebuseos ex arce Sion pepulerat.

**In portis)** Significat ibi iudicia, quæ in portis aliquibus celebra-  
bantur, habitura suum certum & diuturnum locum. Et obseruandum  
est,

## IN 3. PSAL. GRADVVM

*Gene. 49.* est, quod copulata sint, templum & civitas seu politia Iudeorum. Alterius igitur ruinam portenturam etiam alterius interitum. Sic Iacob prædixit, corridente sceptro Iudæ, etiam in templo secururam esse mutationem cultuum, Messia nimirum exhibitio. Imò Titus & templum & portas Ierusalem uno impetu destruxit, quia Christo exhibitio, ad finem suum præfinitum pervenerant.

## DOCTRINÆ.

1. De templo Hierosolymitano, quod ex divina revelatione sit conditum, ut locus, in quo contritio capitis serpentis futura esset, & homines Deo reconciliandi essent, toto terrarum orbe fieret conspicuus & celebris, ne videlicet fides fluctuaret, sed certa esset de Messia salvatore. Nuspam enim alibi hæc fieri debebant, quam in isto loco. Et quidem iam facta & peracta sunt omnia. Benedictus igitur sit Deus pro hisce suis immensis beneficijs.

2. Nihil in genere humano esse salutaris, nihil fructuosius, quam in domo Dei esse civem, hoc est, versari in loco, ubi verbum Dei publice sonat & uiget, ubi Deus homines regenerat, uiuificat, sanctificat & saluat. Sed ista amplissima misericordia divina bona, filij huius mundi parui faciunt, anteferentes quisquillas huius mundi, ut potentiam, opes, uoluptates.

3. Politiam & cohabitationem ac sociatatem hominum, esse donum Dei, qui ciuitates extollit, stabilit, conseruat, euq; suas periodos, sicut cuilibet homini suum uitæ cursum definit atq; præscribit.

4. Pios beneficia Dei, quæ in Ecclesia & politia accipiunt, cum læticia cordis agnoscere & prædicare. Mundani autem homines ista non expendunt, & magnus est stupor & ingratitude in maxima hominum multitudine.

DE SECVN-

DE SECUNDA  
PARTE.

De fine istius politia & templi.

Ierusalem) Finis istius ciuitatis, ut peculiare & insigne sit ho-  
spitium Ecclesie Dei, nempe, ut totus Israëliticus populus, ibi ad templum  
Domini conueniat, ueraq; doctrina & cultibus diuinis sese aggreget.  
Nam unicuique duntaxat templum externum, eo quidem tempore, uolebat  
in hoc populo extrui Deus, & mandabat, ut singulis annis, ex tota terra  
Canaan omnes in hoc loco ter ad sacra festa confluerent, nempe, ad Pa- Exod. 23.  
scha, ad Pentecosten, & ad Scenopogia. Causa erat, ut omnes unam &  
eandem doctrinam audirent ac discerent, & eosdem cultus exerce-  
rent, ne in singulis locis singularis religio institueretur. 2. Ut omnes com-  
monefierent, in hoc loco, & non alibi, Messiam suo sacrificio expiatorium  
esse peccata omnium hominum. 3. Ut in ea coniunctione, dilectionis mu-  
tua commonefierent, quia unum Deum, unam religionem, absq; omni  
prosopolepsia haberent & colerent.

Ut sit ciuitas, in qua conueniatur) Iste est finis omnia-  
rum politiarum, & totius societatis humanae, ut ibi homines conueniant ad  
discendum uerbum Dei, & ad coniungendas preces, & ut coniunctum  
Deum uerum celebrent. Nam Deus non uult unumquemq; hominem se-  
orsim latibula querere, ibiq; suis tantum speculationibus indulgere, sicut  
Heremita, Monachi, Anabaptista secessus querunt, contra ipsius Christi  
interdictum Matth. 24. Vetus translatio obscura est, cuius participa-  
tio eius in idipsum. Alij, quae habet contiguas domos. Item: quae coniun-  
cta est sibi pariter, uel sociata sibi simul, hoc est, pulchro ordine disposita,  
& ciues concorditer cohabitant. Sed dulcior est interpretatio, de fine  
praecipuo istius reipublicae.

Ut illuc) Declaratio, qualem conuentum putet. Respicit autem  
principalem finem ciuitatis.

## IN 3. PSAL. GRADVM

1. Erat, ut ibi homines ad domum Dei conuenirent. Hic autem finis animæ salutem spectat, ideoq; præcipuus est.
2. Ut totus populus Israeliticus haberet aliquam firmam arcem aduersus hostium excursiones & insultus.
3. Ut in pace homines possint liberos educare & erudire.
4. Ut uictum etiam tutò possint quærere.
5. Ut in illa cohabitatione ac societate hominum, mutua sibi officia possint præstare, quia unus homo, nec habet, nec intelligit aut cælet omnia.
6. Ut in disciplina bona contineantur homines, & iniusticia cuiq; administretur. Nam uita hominum à beluina plurimum differre debet.

Totam igitur ciuitatem Ierusalem, quasi commune templum populi Israelitici constituit.

Tribus) Deus etiam præcepto, ut hoc facerent, eas obstrinxerat, nempe, ter in anno. Ideo honorifico eas eulogio ornat, quòd sint tribus Dei.

Ad testimonium) Causa finalis istius conuentus ad domum Domini. Ac duo potissimum designat Prophetæ, quæ in congregatione Ecclesiæ sint agenda. Primum quidem, ut testimonium Israel ibi sonet ac discatur. Deinde uerò, ut confessio Dei ac gratiarum actio ibi uigeat & exerceatur. Testimonium autem Israel est, ipsa diuina doctrina, cælus huic populo patefacta & tradita. Sic enim crebrò Verbum Dei appellat testimonium, quia est testificatio de Dei essentia & uoluntate. Psal. 119. Sic & Esaiæ cap. 8. nominat. Est autem Ellipsis. Ad testimonium Israel, scilicet, repetendum, propagandum.

Testimonium.

Quia illic) Explicatio alterius partis, nempe de politia, cuius quidem nerui & ornamenta sunt legitima iudicia.

Sederunt sedes) Alludit ad ritum iudiciorum, ubi iudices in scamnis confident, audituri causam, & sententiam laturi. Sic & Germani

loquimur

loquimur. Gerichtsbencke setzen/ eine gehegte Banck/ Ein  
Gerichte sitzen.

Sedes) Peculiaris beneficij celebratio, quòd domo Dauidi iste  
ingens honor contingeret.

## DOCTRINÆ.

I. Politiarum finem in hoc mundo præcipuum esse, ut homines in  
ijs congregiantur in templum, discant uerbum Dei, regenerentur, colant  
Deum, & saluentur. Ideo enim imprimis uiuunt homines. Ac sunt dulcissi-  
mi uersus Stigelij :

Virq; alios alij, de Relligione docerent,

Contiguus pietas iussit habere domos.

Hac de causa plerunq; in ciuitatibus, templum medium loci occupant.  
Ac miratio est, in quærendo uictu, necesse est homines dispergi in a-  
gros, in uineas, in prata, in syluas, & separatim hinc inde discurrere.  
Sed in cognoscendo & colendo Deo, ad unam domum, & ad unius uo-  
cem congregantur, & eundem Deum uno corde inuocant & colunt.  
Ad eandem etiam uitam cœlestem contendunt. Antuhestin autem de poli-  
tijs, in qua non extat sincera Religio, omittit.

2. Nos iam non alligatos esse ad unum locum. Sed nostram Ieru-  
salem esse in omnibus pagis & oppidis, ubi uera religio uiget, & homi-  
nes sacros conuentus celebrant.

3. Præcepto DEI nos omnes obligari, ut sacros conuentus a-  
memus & frequentemus, Quia Lex Dei est, diem Sabbati sancti-  
fices.

4. Quid in templis seu sacris congressibus sit agendum,  
nempe, hæc duo potissimum. 1. Doctrina diuina tradenda, audienda &  
discenda est. 2. Nomen Domini confitendum & celebrandum

est, pñs precibus & gratiarum actione. Vbi autem hæc non sunt, &  
coluntur idola, cantantur Psalmilingua peregrina, obseruantur traditio-

nes

## IN 3. PSAL. GRADVVM

nes humanae cum superstitione, instillantur errores, ibi domus Dei sit spelunca latronum, ut Christus loquitur.

### DE TERTIA PARTE.

Excitatio ad orationem pro Ecclesia & politia, & quidem uotum piuum hic exprimitur.

Rogate) Commemoratis Dei beneficijs multo maximis, iam omnes ad preces exuscitat. Nam precibus seruantur Ecclesia & politia. Vult enim Deus agnosci, quod ipse ista constituat & conseruet.

Pax.  
Schalom.  
Salus.

Ad pacem) Pax significat in genere, quicquid faustum, scilicet, prosperum, salutare est. Schalom, pax, quicquid est integrum. Salus inde uidetur deriuatum. Constat autem, pace consistere & florere politias & Ecclesias. In bello autem discordijs & turbis eas perire.

Prosperentur) Fausta precatur omnibus fautoribus Ierusalem.

Sit pax) Analysis. Primum ciuitati omnia integra, firma, tranquilla precatur.

Intra muros) Alij intra munitiones. Vetus interpretatio habet, in uirtute.

Propter) Hac tranquillitas & prosperitas, & incolis huius ciuitatis & uicinis, hoc est, toti terrae Canaan, in qua iuxta distributionem Iosua tribus habitabant, prodest.

Loquar) Precabor tibi prosperitatem, das dirs wolgehe.

Propter domum) Alter finis, prodest etiam Ecclesia. Nam bellicis furoribus, & turbatis rebus publicis, etiam cultus Dei disturbatur & impeditur. Domus autem Dei, hic Synecdochicè significat totum cultum Dei, qui consistebat in tradendo uerbo Dei, in conuictione precum, in confessione nominis diuini, & in ritibus tum quidem à Deo mandatis.

Domus Dei.

Quarant



NUMERO CXXIII. VI. 9.

Querant bona) Scilicet poscendo seu orando. Nam Bik-  
kesch significat querere poscendo.

Bona) Tob generaliter omnis generis bona, sicut & Schalom  
omnis generis pacifica, fausta & salutaria significat.

DOCRINÆ.

I. Orandum esse pro conseruatione politiarum & Ecclesiarum  
Dei, Quia non casu consistunt, sed Deo fauente & protegente. Deo enim  
irascente, ruunt omnia. Et quidem uult omnes coniungere suas preces,  
Quia omnes commodis Rerumpub. & Ecclesiarum fruuntur.

I. Pacem publicam politijs & Ecclesijs necessariam esse. Pax opti-  
ma rerum, quas homini nouisse datum est. Pax una, triumphis potior in-  
numeris.

CXXIII. PSAL-  
MVS.

E Vheticus est. Nam ardentem orat, ut Dominus sibi opem ferat con-  
tra irrisiones potentium, & contemptum seu calumnias hypocrita-  
rum. Comitatur autem hæc duo persecutio piorum. Gemunt igitur  
ad Deum pij, ut is sibi opem ferat.

Partes sunt duæ. Testificatio, ad quem Deum in suis ærumnis  
confugiat, & quare.

2. Petito auxilij diuini ex misericordia, contra irrisiones &  
contemptum filiorum huius seculi, propter ueram religionem. Nam eius  
modi sanæ & sarcasmi, magis uulnerant piorum mentes, quàm gladij, &  
impediunt cursum uerbi Dei.

C DE PRI.

# IN PSAL. GRADIVM

## DE PRIMA PARTE.

Ad te) Testatur, sese in maximis afflictionibus, ubi non affulget ulla ex parte mundi auxilium, cor suum, oculos, & uerba ad Deum dirigere. Ac significat, sese ex mœroribus animi propter aduersitates (qui mœrores solent oculorum demissionem adferre) eluctari, & tantum in Deum omnem suam fiduciam ponere. Estq; hæc rectissima orandi uia, non compellare ullam creaturam, sed ipsum Deum.

Qui habitas) Ratio istius fiducia, Quia tu habes potestatem cœlorum, id est, totius Mundi, es uerus Deus, es excelsior omnibus, habes omnia in tua manu. Sic filius Dei nos iubet precari: Pater noster, qui es in cœlis, id est, ubiq;, & habes omnia in tua manu, potes omnia, liber è facis omnia. Antithesis est ad falsa Numina, & ad homines sese affluentes. Gentium Dij non habitant in cœlis, id est, non sunt creatores aut Domini mundi, sed sunt creatura uiuæ & mortuæ, uel tantum cogitationes hominum. Hostes piorum, etiam non sunt habitatores cœlorum, id est, creatores & Domini, sed sunt mortales creatura, hodie uiuentes, cras mortuæ. Quando autem animus penè oppressus uexationibus Satorum, & filiorum huius seculi, tantum sese erigit, & ad Deum cœli sese uera in Christum fide prælucente conuertit, tum maximam partem suæ crucis deicit. Porro illud habitare in cœlis, non est iuxta Epicureorum & Poetarum sententiam intelligendum, quasi terram & res humanas negligeret, sed iuxta phrasin Scripturæ, id est, tenes omnia, & hæc inferiora iuxta tuum arbitrium moderaris.

Ecce) 2. Ratio, Quia tu es NOSTER Deus, hoc est, tu nos tibi obstrinxisti certo uerbo, estq; mutua inter nos relatio. Nos sumus serui tui, tu es noster herus. Huius dulcissimæ confederationis meditatio, fidem in ipso tantopere accendit, ut hoc quasi strategemate Deum capiat, & comparationem à rebus humanis ad Deum transferat. Et hac quidem sua captura Deus maximepe è deletatur. Sic Christus ad Cananæam inquit, eam esse canem. Hoc autem audito, mox infert, Quia canes

mic

micis e mensa Dominorum delapsis fruuntur, ideo peto a te tanquam meo Domino, ut eas mihi micas benignè praebeas. Sic files in lucra cupidissime arripit, quo inuiti queat.

Seruorum) Misera conditio est seruorum & ancillarum in illis regionibus, quia non sunt liberi, & iniurijs affecti, ad neminem quam ad Dominum confugiunt.

Ad manus) opem, auxilium, defensionem, Metalepticè

Ad Dominum) Emphasis est in singulis uerbis. Ad te, inquit, Iehoua respicimus, qui es creator noster. Maius igitur habes Dominum in nos, quam in ullis Magistratus ciuili, aut pater familias. Item: Quia creator noster es. Ergo decet etiam te conseruatorem & defensorem nostrum esse.

Eloheui, Deum nostrum) El siue Eloha, à potentia dicitur. Tu potes etiam nos tueri & liberare: Non igitur frangimur potentia Dabolorum & filiorum huius mundi consideratione, Quia Deus est supra creaturas. Christus insuper inquit, sese principem huius mundi uicisse. Ioan. 15.

Nostrum) Aurea adiectio, applicans sibi in specie hunc Iehouah Eloha. Hoc est, Est mihi Dominus Deus, est meus herus, mihi debet auxilium ratione obligationis seu promissionis suae. Ideo uocatur uerax, fidelis, non mentiens, non fallens, non deserens. In hisce igitur nitatur fides nostra.

Donec) Constantiam & perseuerantiam fidei notat, in dilatione auxilij diuini. Nam ipse nouit tempus exactissimè & modum, quo uelit opulari spiritualiter & corporaliter. Estq; Synecdoche, pro clementi opulatione.

## DOCTRINÆ.

I. De anxietatibus & luctis conscientiae in afflictionibus huius uitae, & quòd erumpendum sit toto pectore ad Deum caeli conuersio.

## IN 4. PSAL. GRADVVM

2. Deum uerum inuocandum esse, qui habitat in caelis, hoc est, qui se patefecit suo uerbo, quod sit unus Deus Essentia, triuus personis, & quod sit possessor caelorum, hoc est, creator & sustentator, quod uideat, gubernet omnia, & sit omnipotens Deus, omnia quae uult faciens, in caelo & in terra.

3. Pulcherrimam esse consederationem & obligationem Dei & hominum, non tantum ex creatione, sed etiam ex redemptione per Iesum Christum, & regeneratione, quae propter fidei certitudinem & consolationem saepe cogitanda est.

4. Deum esse NOSTRUM Deum, hoc est, mihi, tibi, & non esse prosopoleptam. Ideo fides in eo acquiescat, petendo & expectando omnis generis beneficia.

5. Perseuandum esse fide, spe, inuocatione, ne frangamur a rebus & calamitatibus, sicut praclare Iob inquit, Etiam si occiderit me, tamen sperabo in eum.

6. Auxilia Dei, quae nobis praestat, esse meram MISERICORDIAM. In deo Sancti semper orant, ne secundum opera nostra tribuat nocis Deus, sed secundum magnam suam misericordiam.

## DE SECUNDA PARTE.

Sequitur petitio in specie, ut se ab irrisione potentum, & calumnijs hypocritarum uindicet ac defendat.

Miserere) Propositio. Peto ut ex misericordia me iuues, protegas, liberes. Estq; affectus in repetitione, ortus ex magnis angustijs cordis, & periculis irruentibus. Miserere autem respicit duo. Primum quidem gratuitam Dei misericordiam. Nam non hic opponit Deo suam dignitatem aut merita, Quia coram Deo omnes sunt rei. Ac necesse est in omni preceatione praelucere fidem, gratis à Deo petentem remissionem peccatorum propter Christum Rectè igitur & congruenter inquit Daniel: Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante te, &c.

Cap. 9.

Nam

NUMERO CXXIII. II.

Nam si absq; hac fiducia in Dei misericordiam esset, nemo posset quicum a Deo cum aliqua certitudine exauditionis petere.

Deinde respicit affectum Dei paternum, ut in nostra ignominia & oppressione paterna misericordia afficiatur, & nos liberet. Est q; Synecdoche in uerbo Miserere, quia non tantum affectum, sed & effectum, hoc est, auxilium significat.

Quia) Ratio propositionis & narratio rei, à quo cupit liberari.

Multum repleti) Ad uerbum. Plurimum saturati sumus, sic Psal. 38. Saturata est anima mea malis. Panis lachrymarum Psal. 38. omnis generis tribulationes significat. Cibasti, inquit, nos pane lachrymarum. Significat autem non tantum aures, sed totum suum corpus repletum esse illis dieterijs, sannis & criminationibus maleuolorum, quibus propter pietatem seriam & ueram sit expositus.

Despectione) Boz, significat contemptum cum fastu, id quod postea declarat. Complectitur autem hac uoce omnis generis contumelias, irrisiones, sarcasmos, uenenata dicta, calumnias, quibus profani homines & hypocritæ pios exagitant, excruciant, pungunt, urunt, uexant, premunt, laedunt.

Quia multum) Declaratio & exaggeratio rei.

Anima) Queritur, suum cor uulnerari & contabescere ex illis contumelijs & sarcasmos. Nam uiro forti aut pio, multò facilius est, ferre uulnus mediocre, quam conscientia sauciationem, ex contumelijs & sarcasmos maleuolorum.

Subsannatione opulentorum) Exponit illas afflictiones, & nominat suos illos aduersarios, nempe opulentos, uel potentia & opibus, uel autoritate & functionibus, uel sapientia excellentes. Nam hac afflictio, non est à plebeis hominibus.

Subsannatio Laag, unde est germanicum lachen / complectitur omnis generis irrisiones, sannas, exhibitiones, sarcasmos, item criminationes uiperinis, calumnias, dieteria, conuicia, mendacia, sycophantias. Causa autem hic est, propter religionem, hoc est, ueram doctrinam, ueros cultus Dei, confessionem, necessaria studia & facta pietatis, arguere errores & falsos

## IN 4. PSAL. GRADVVM

1. Reg. 17.

2. Reg. 6.

Math. 27.

falsos cultus, quantacumq; specie antiquitatis exornentur. Nam hoc est catholicon, quicumq; serio pietatem ueram amplectitur, proficitur, sedatur, is odium clarissimorum uirorum in hoc Mundo, in Ecclesia & politica, eorumq; sanus, conuicia & criminationes incurrit. Ratio est, quia princeps huius seculi, in & cum suis organis nequaquam feritur. Sic Dauid pio zelo aggressurus monstrosus illum Goliath, à proprijs fratribus irridetur. Dauid saltans ingenti laticia ante arcam Domini, à propria coniuge exhibitur. Christus ridetur cum sua doctrina, quod uellet reformare Ecclesie statum, optimè à Mose constitutum, & postea in cruce suspensus, sarcasms diris excruciat. Si filius Dei es, inquit, de cruce descende. Lutherus ridebatur, quòd uellet Papam de suo throno deijcere, & Ecclesiam pontificiam reformare.

Sic cachinnis & sarcasms excipi solent reprehensores errorum, quos magni uiri tenent, & spargunt, autoritate & meritis excellentes, præsertim si id faciant homines, non magna fama aut existimatione præditi. Hinc in illos conuicia & crimina finguntur, quasi asinrudant, quasi sint apostata ingrati erga præceptores aut Maiores, ambitiosi, seductosi, inquieti, Ecclesiarum & Scholarum hostes, artium & omnis eruditionis osores & destructores, scandalorum autores, organa iræ Dei, mancipia Diabolorum, pestes terræ, quos omnes odisse & execrari debeant, quiq; nusquam in hoc mundo ferendi sint. Eiusmodi autem risus, obrektiones & calumnia corda piorum uehementer sauciant, excarnificant, macerant & languetaciunt, & facilius eis foret ceruicem carnifici præbere amputandam, propter Nomini diuini confessionem, quàm eiusmodi Diabolicos sarcasms, & uirulentas exprobrationes audire. Nec dubium est, ipsi Christo tales irrisiones in sua passione, multò fuisse acerbiores, quàm ipsam corporis lacerationem. Hic igitur noster est typus seu exemplum, qui ei Nomina dedimus.

Et con-

Et contemptu superborum) Superbi hic appellantur super-  
hypocrita, qui insignem præ se ferunt pietatem, & sunt docti, sunt in  
magnis functionibus, sunt in existimatione, imò etiam potentia excel-  
lunt in Ecclesia, scholis & poliis. Ii uerò quasi ex alto despiciunt alios  
sinceram pietatem sequentes, & improbant magnorum errores, opi-  
niones, lapsus. Quis tu es, inquit, qui uelis tantos uiros docere, qui  
plus uno digitulo habent sapientiæ, quàm tu toto corpore? Ouum scilicet  
uult docere gallinam: Itaq; putant, sibi quiduis in pios licere, pellunt  
eos in exilia, famosa edicta, famosos libellos contra eos adunt, in carceres  
eos coniiciunt, expoliant bonis, premunt, torquent, interficiunt, ac  
putant eos nullius esse precij, eos non posse semet ulcisci, esse miseros  
homines, imò insuper putant, se Deo gratissimum officium præstitisse, si  
egregiè nos uexarint & afflixerint.

Sic Dauid suo tempore, sustinebat contemptum superborum  
Er muste jr Suseruch / jr Aschenbrödel / jr Abel sein. Sed  
aduersus eiusmodi afflictiones, pij sese muniant ueris & solidis consola-  
tionibus, ne flaccescant & mœroribus pereant.

1. Quòd Deus eiusmodi sannas & contemptus opulento-  
rum & superborum norit ac improbit. Et quòd uideat piorum  
mœrores propter hanc causam, iuxta dictum: Nouit Dominus iter  
piorum. Psal. I

2. Quòd Deus metas constituat risoribus & persecutoribus,  
quis non prætergredientur, & quòd eos tandem grauisimè, puniu-  
ra sit.

3. Quòd Deus omnes capillos capitis piorum numeratos ha-  
beat, nec unum patiatur euelli absq; sua uoluntate.

4. Quòd Deus uelit interdum in hoc mundo confessoribus  
ueritatis suæ, bona testimonia dare. Post hanc autem uitam æternam glo-  
riam, omni ignominia abrogata, conferre.

Doctrinæ.

IN s. PSAL. GRADVVM  
DOCTRINÆ.

1. In omni prece misericordiam Dei implorandam esse, & quidem eam, quam filius Dei factus homo, suo merito peperit. Nam absq; eo misericordiam Dei, hoc est, Deum reconciliatum & dimittentem nobis peccata, non consequimur.
2. Vm fiducia in Deum in eo consistere, quòd Deus sit NOSTER Deus, & quidem propter Christum propiciatorem. Nam is Deum nobis reconciliat, is nos adducit ad Deum, is nobis Deum reddit, quem lex suis terroribus nobis auferebat.
3. Ecclesiam Dei, id est, omnes uerè pios, propter pietatem esse in hoc mundo despectos, risibus potentum & contemptui, atq; persecutionibus superbiorum expositos. Sed Christus eos predicat BEATOS, & mercedem amplissimam in altera uita pollicetur.
4. Opulentos huius mundi, scilicet impios, esse subsannatores piorum. Et superbos, esse contemptores eorum. Hac in ipsa praxi discenda sunt, aliàs uidentur esse somnia.

CXXIII. PSAL=  
MVS.

EVcharisticus est. Exhortatur enim totam Ecclesiam, ut auxilium Dei mirandum, in maximis periculis agnoscat, grataq; memoria celebret. Hunc enim cultum Deus requirit, cum alia ratione innumera & ingentia Dei beneficia compensare non ualeamus. Praeit autem suo exemplo Dauid, ut in reliquis quoq; pijs gratiarum actionem ardentem excitet.

Partes duæ sunt.

1. Excitatio ad agnoscendum Dei auxilium, ubi nulla humana sapientia aut potentia potuisset liberare, Qualia quidem plurima, in hac misera hpminum uita incidunt.

2. Est



2. Est ardens gratiarum actio & celebratio Dei.

DE PRIMA PARTE.

PRImus gradus celebrationis diuinæ, seu antecedens, est cognitio beneficii accepti, & quàm hoc sit magnum.

Nisi) Propositio. Nisi Deus omnipotens nos iuisset, ac liberaisset ex periculis, nulla humana sapientia aut ui potuissemus eluctari, sed fuisset nobis succumbendum & pereundum. Occasionem multi existimant fuisse, quòd in captiuitate Babylonicatam crudeli, aliqui essent conseruandi & restituendi.

Iehouah) Is est seruator Israelis, & qui benefacit toti Ecclesiæ, curans, defendens, liberans, seruans eam. Hostes uerò Ecclesiæ, id est, omnium piorum sunt, Diabolus rabiosissimus, & Mundus peruersissimus. Quid uerò potest dici tristius, quàm quòd Christus inquit; Ecce ego mitto uos tanquam oues in medio luporum? Cingebant autem undiq; Ecclesiam Matth. 10. Israel, immanes ac sæui populi, dies noctesq; cogitantes, quomodo eam uelint opprimere, excindere, delere. Ab ortu erant Ammonitæ, Moabitæ, Chaldæi. Ab occasu Philistini. A meridie Idumæi, Arabes, Aegypti. A septentrione Syri. Iam igitur ab hoc, mox ab alio hoste uellicabantur, spoliabantur, & in summis angustiis redigebantur.

Fuisset nobiscum) Præsentia sua, cura, protectione, sustentatione, liberatione, iuxta dictum: Cum ipso sum in tribulatione, liberabo Psal. 91. eum. Describuntur autem res desperatæ, quod quidem ad humana consilia & opem atinet. Non fuisset populus egrediens ex Aegypto, persequente Pharaone conseruatus, nisi Deus fuisset cum eis. Daniel in specum famelicorum leonum deiectus, non mansisset saluus, nisi Deus cum eo fuisset, Daniel. 6. &c. Sic nostra exempla consideremus & applicemus. Sæpius enim seruati sumus, præter & contra causas secundas.

Dicat) Exhortatio, ut tota Ecclesia hoc agnoscat, expendat, magnificet, & dicat Deo laudes, non obmutescat, non occultet Dei beneficia, sed uoce quoq; celebret.

D

Nisi

## IN S. PSAL. GRADVVM

Luce 17.

Nisi) Repetitio, rei ipsius gravitatem & excellentiam inculcans. Homines enim cuiò obliuiscuntur beneficiorum Dei, ac sunt ingrati. Christus inquit: Nonne decem mandati sunt? Nonem autem ubi sunt? An non est inuentus qui Deo redderet honorem, præter unum? Gentes etiam de hoc uitio queruntur: Antiqua gratia dormit, & homines sunt ingrati, inquit Pindarus.

Cum insurgerent) Periculum interspergit. Testatur autem fuisse atrocem persecutionem, quòd in faucibus crudelissimorum Luporum penè hæserint. Insurgerent, scilicet hostes maximis exercitibus. Depingit autem furiosos conatus persecutorum.

Homo) Singularem numero totius exercitus, uel omnium persecutorum idem studium, eundem furorem depingit. Deinde uerò etiam confert Homines & Iehouah, ac docet, quòd ad homines quidem sibi per eundem fuisse, sed Iehouah fuisse potentiorum, & contra ac supra omnium hominum cogitationes infirmam Ecclesiam eripuisse, ac conseruasse. Nam tantum miraculose, omnipotentis Dei dextera, in hoc mundo Ecclesia consistit ac durat.

Tunc uiuos) Hæc uerba ad propositionem pertinent. Uritur autem figurata locutione, sumpta à carniuoris feris, summa crudelitate lamantibus ac deuorantibus alia animalia & ipsos quoq; homines, fame urgente. Anthropophagi quoq; homines, quos capiunt, uorant.

Cum accensus) Ratio propositionis, Quia furore contra nos ingenti accensi, tantum cædes & interuersionem spirabant. Inualescunt autem homines ira, & uehementius atq; inconsultius ruunt in alios, nec modum obseruant. Es war beschlossen/ wir solten zu grund ausgerottet werden. Sed Deus aliter disponit, & circulo in nares iniecto, hostes retrahit.

Aquæ.

Tunc aquæ) Alia amplificatio periculi & exaggeratio liberationis diuinæ. Comparationem autem sumit ab aquis profundis & uoriginosis, subito & magna ui homines obruentibus & absorbentibus. Significant autem Aqua, phrasi Scripturæ, externa & interna pericula, tentationes,

tationes, aduersitates, persecutiones, Fortè comparatione ducta à diluuiò, ad cuius horribilem typum hic uidetur alludere. Aqua, inquit, inundassent & absorpsissent nos, sic hetten vns mit gewalt vberlauffen/ quemadmodum in diluuiò, aqua homines inuoluit & obruit.

**Torrentes**) Torrentes sæpius ex improviso aucti imbribus, magna ui ruunt, & obuia quæq; sternunt, euellunt, rapiunt. Sicut in mea patria uidi torrentem, per uallem à Mullendorff pago per plateam oppidi Mansfeld decurrentem, arbores, domos, supellectilem, cunctis magno impetu uehementem, & hortos amœnos luto atq; lapidibus complentem. Sed eiu modi furiosa aqua sæpè uisuntur in locis, ubi per ualles decurrunt torrentes. Faciliè enim augentur, sed breui quoq; decrescunt, & quasi defruescunt.

**Super animam**) Anima, Synecdochicè frequenter pro toto Anima. homine & uita eius accipitur. Sed hic uidetur etiam ipsius animæ periculum significare, propter spirituales tentationes. Nam spirituales tentationes sunt omnium sæuisimæ. Solent autem spirituales tentationes, ad corporales plerunq; accedere. Nam in aduersitatibus uariè trepidat & uacillat caro, dubitans de cura & protectione Dei, & circum spectans de alijs euasionibus & amolitionibus afflictionum. Multi etiam succumbunt, ac sese hostium uoluntati dedunt, amplectentes potentiorum religionem, uel **INT** Erim aliquod, ut uitam atq; opes suas retineant, uel plures possessiones & commoda adipiscantur, Id quod historia nostri temporis declarant. Non enim py sunt saxa immobilia, & Diabolus omnium maxime ipsos infestat.

**Tunc pertransissent**) Repetitione ista pericula exaggerat. Semper autem Ecclesia Dei uera, quasi inter undas maris rubri graditur, & in uita discrimine singulis momentis uersatur, iam iamq; fluidæ aque capitibus imminentes, nullo prorsus medio constrictæ, nisi sola Dei uoluntate eiusq; uerbo, decidere uidentur, atq; exitum intentare.

Aqua superba, hic intumescens ac maximo impetu irruentes appellatur.

## IN S. PSAL. GRADVVM

appellantur. Hac pictura autem describuntur elati tyranni & hypocritæ, magno supercilio & cum insultatione alios persequentes & opprimentes.

### DOCTRINÆ.

1. Ecclesiam Dei semper in maximis periculis uersari in hoc mundo, donec Satan in eo relinquatur, & donec is efficax est in filijs incredulitatis. Hinc Paulus pronunciat: Omnes qui piè in Christo Iesu uolunt uiuere, persecutionem patientur.

2. Hostes Ecclesiæ & persecutores piorum, multitudine sibi adstantium abundare, & opibus atq; potentia excellere, ac magno impetu, incredibili uolentia, & fastu immenso pios affligere.

3. Ecclesiam Dei non consistere consilijs aut uiribus humanis, sed sola misericordia & potentia Dei, qui miraculosè, hoc est, supra & contra hominum cogitationes, eam seruat & liberat. Hac ex omnium temporum historijs liquent.

### DE SECUNDA PARTE.

Gratiarum actio ardens & præclara, in qua beneficia Dei repletur & celebrat.

Benedictus) Barach, significat fausta præcari. Inde & pro celebrare usurpatur, & quidem cum reuerentia. Estq; propositio. Te Iehoua laudo.

Qui non) Ratio seu Narratio rei. Tu nos seruas, aliàs de nobis prorsus actum fuisset.

Non dat) Ergo in manu & protectione Dei sunt pij, & Deo non permittente, neq; tyranni, neq; Diaboli possunt eis nocere. Christus inquit: Omnes capilli capitis uestri numerati sunt, & c.

Math. 10.

In præ

**In prædam dentibus)** Alludit ut suprâ, ad carniuoras ferus, & describit periculum tyrannorum seu persecutorum. Canes, lupi, & aliæ feræ, iram præ se ferentes, stringunt dentes cum fremitu, sic etiam irati homines strident dentibus.

**Anima)** Insidias hypocritarum & adiutorum persecutorum describit. Nam piæ tum manifesta uirtutum astu impetuntur. Sic Iulianus cum ferro non posset delere Christianos, dolis rem aggressus est, prohibitione scholarum Christianarum, alijsq; modis, ut historiæ declarant.

**Laqueus contritus)** Pœna persecutorum.

**Et nos)** Multæ sunt ualde mirandæ liberationes piorum, impijs è medio sublati, aut neruis eorum succisis.

**Adiutorium)** Epiphonema. In nomine, hoc est, iuxta ipsius promissiones, & in eius agnitione & inuocatione. Tantum noster opitulator est Iehouah, non Dii gentium, non consilia nostra, non uires nostræ.

**Qui fecit)** A potentia istius Iehouæ. Ac discernitur à cunctis creaturis & idolis hominum.

## DOCTRINÆ.

1. Deo pro acceptis beneficijs esse gratias agendas. Agnoscit autem gratiarum actio Dei opitulationem, eamq; magnificat & prædicat.

2. Pios in manu Dei esse, & nihil eis aduersi accidere absq; Dei permissione.

3. Hostes piorum nihil prorsus posse, quantumuis magna potentia excellant, aut ira ardeant, nisi quatenus Deo uideatur.

4. Ecclesiam uirtutum manifesta & insidijs impugnari.

5. Persecutores Ecclesiæ de medio tolli, aut conatus ipsorum dissipari, ne penitus eam opprimant.

CXXV. PSAL-  
MVS.

Consolatio est Ecclesie Dei, proposita in cruce, ne propter perpetuas afflictiones, & tot undiq; ingruentia & subinde accrescentia mala, existiment pii, eam prorsus interituram esse. Docet autem Prophetam, Iehouah protegente, Ecclesiam stare & durare, contra omnes omnium hostium molitiones. Fides igitur promissionibus diuini innitatur, contra omnia spectra, sese humanis sensibus ingerentia.

Propositioni quatuor rationes subiunguntur. 1. Quia Dominus Ecclesiam suam custodiat & munit. 2. Quia Dominus uelit conseruare tales, qui ipsum colant. 3. Quia Dominus iuxta promissiones, solet bonis benefacere. Estq; hac ratio gemitu seu uoto ornata. 4. Quia Dominus puniet impios. Ecclesie uero dabit pacem temporalem atq; aeternam. Hac autem consolatione semper indiget Ecclesia Dei, Quia caro est infirma, & uarias tentationes ab intus & extra experitur.

Qui confidunt) Propositio. Credentes in Dominum, hoc est, Ecclesiam suam, conseruabit Deus in cruce. Ecclesia enim semper sub sancta cruce militat. Hostes enim habet Diabolum, machinantem dies noctesq; oppressionem & deletionem Ecclesie Dei, & filios huius mundi, quos potenter Diabolus regit, & contra confessionem & propagationem uerbi Dei instigat. Hac autem in periculis Ecclesie cognoscuntur omnium maxime. Ut quando Antiochia spirat deletionem totius Israelitice religionis. Sic tempore Interim omnia presentem ac potentem destructionem, repurgata Religionis pre se ferebant. In eiusmodi autem afflictionibus caro etiam in pijs trepidat & uacillat, id quod summorum hominum experientia, hac nostra quoq; etate est testata. Hic igitur eiusmodi praeclaræ consolationes locum habent.

Qui

Qui confidunt) Describitur Ecclesia Dei uera, cui ista conseruatio promittitur, nempe, non Ecebolis & Epicureis, qui religionum mutationes non magni faciunt, credunt, quod rex aut princeps credit: Non hypocritis, suae probitati inuentibus: Non confidentibus suae sapientia, industria, experientia, successibus prioribus: Non opibus, potentia, munitionibus, aliorum amicitia, societati, copijs. Nam ista omnia sunt fallacia.

Confidere autem in Domino, complectitur ueram Dei & uerbi diuini noticiam, certam persuasionem, quod Deus norit nostras afflictiones, curet nos, Et quod iuxta promissiones suas & illustra facta, & possit & uelit nos iuuare, & imprimis statuere, quod sit nobis propicius propter Christum Mediatorem, ipse sit pater noster, nos liberi eius. Hoc igitur est confidere in Domino, statuere, quod Dominus omnipotens sit noster Clypeus, & sub umbra manuum eius uerserur. Quid autem sunt homines? Imò quid diaboli omnes, collati ad ipsum Iehoua creatorem rerum omnium?

Sicut) Promissio illustrata comparatione. Mons Sion est immotus. Nulli Cyclopes eum possunt aliò asportare licet, aliqua frustra inde auellant. Firmiter insisit fundamento, non collabitur. Sic & Ecclesia Dei perpetuo durabit. Significat autem Ecclesiam eius loci duraturam, quam diu quidem ibi confidentes in Iehoua extiterint. Perijt autem postea Ecclesia istius loci, quia ipsum Dominum gloriae crucifixerunt, nec in eum confisi sunt. Nihilominus durat Ecclesia Dei, & durabit in omnem usq; aeternitatem, ubicunq; sunt confidentes in Iehouah. Et comparatio ista adhuc durat, quia mons Sion adhuc stat.

Commouebuntur) Non inclinabunt se, non collabentur.

In aeternum) Durationem in eo loco significat, quam diu quidem confident in Iehoua. Genus autem ad perpetuam durationem Ecclesiae Dei pertinet. Etiam si enim aliqua membra patiuntur, & de medio tolluntur, tamen corpus Ecclesiae non delebitur penitus in hoc  
etiam

## IN 6. PSAL. GRADVVM

etiam mundo, iuxta articulum fidei. Imò etiam martyres manent in perpetuum in manu Dei, licet corporali uita priuentur.

In circuitu) Prima ratio, quia Iehoua circumquaq; custodit confidentes in se, hoc est, Ecclesiam ueram. Suprà dixit Psal. 121: Ecce non dormitabit neq; dormiet, qui custodit I/rael. Et Psal. 34: Angelus Domini castra metatur in circuitu timentium eum. Et Zach. 2. de igneo muro dicitur. Huc pertinet historia 4. Reg. 6.

Populi sui) Emphasis. Suprà proprietatem posuit, confidentes in Iehouab.

Montes) Comparatio. Erat Ierusalem munita ciuitas, etiam loci natura, propter montes undiq; eam cingentes. Sed potior munitio est ipse Iehoua, eam protegens. Hic iterum conferantur hostes ad Iehoua. Iohan. 10. Christus etiam dulcissimè inquit: Nemo rapiet eas de manu mea. Hæc opponuntur spectro multitudinis, & ferocitatis oppugnantium pios.

Ex hoc) Non tantum olim fuit Dux, & custos & liberator sui populi, sed etiam nunc est. Cum autem & nos simus populus Dei hodie, easdem promissiones fide indubitante ad nos transferamus.

Non permanebit) Non erit perpetuum, quantumuis à filiis huius seculi stabiliatur. Non requiescet, inquit.

Sceptrum) Virga impietatis, imperium, dominatio tyrannica, defendens falsam religionem, & premens ueram & eius cultores. Sic non tantum impij reges in Iuda puniti sunt, sed etiam exteri uim isti Ecclesiæ intentantes. Complectitur igitur hac phrasi, sceptrū impietatis, excellentiam, potentiam, conunctionem impiorum, imò etiam successus ad tempus, & oppressionem plurimorum in Ecclesia Dei.

Super sortem) Cæterum. Nam cæterus piorum, est fors Dei, quæ ei peculiariter contingit ex genere humano. Peculiariter autem eum cæterum uocat ministerio uerbi. Iusti autem appellantur, fide in Christum iusti, iusticia imputatiua, & in quibus inchoata est uita nouitas. Non sunt additi falsis dogmatibus & cultibus, nec uiuunt in peccatis contra conscientiam, ut faciunt Rescham, impij, quibus hic iustos opponit.

Vt non)

Iohan. 10.

Iusti.



**Vt non)** Declaratio istius rationis, ne iusti, scilicet, confidentes in Iehouah, ut supra dixit, fracti diuturnitate afflictionum, & longa conuersatione cum impijs, & ipsi maculentur impietate, falsa nimirum doctrina & cultibus idolatricis. Caro enim infirma est. Diabolus potens est, & corrumpunt bonos mores, conuictus cum improbis. Ne igitur pii seducantur, ac Deus destituatur cultoribus, ideo Deus uult impios tyrannos, & impia imperia delere, ac interdum pios Magistratus largiri, ut Ecclesia habeat Halcyonia, ut possit tradi & propagari doctrina.

**Extendam)** Gestus. Significat autem pios abstinere ab impietate, & cohibere manus. Sed diuturnitas crucis plurimos evertit. Eadem causa Psal. 85. allegatur.

**Benefac)** 3. Ratio. Quibus Deus uelit benefacere. **Votum** autem includit promissionem. **Glorificantes me, glorificabo.** Benefacere autem Dei, est ex gratia omnis generis beneficia exhibere, tum temporalia, tum aeterna. Omnibus quidem creaturis benefacit Deus, sed peculiari-  
1. Reg. 2.  
Beneficentia  
Dei.

**Bonis)** Boni sunt, quos antea iustos appellauit, non scilicet, natura bonos iam post lapsum, sed regeneratione, sed imputata iusticia per fidem in Christum, & in quibus spiritus sanctus nouam obedientiam inchoat.

**Rectis)** Opponitur hypocrisis, de quibus dicitur: Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sic Paulus inquit: Corde creditur ad iusticiam. Et Christus inquit, Corde bono accipi sermen uerbi diuini. Deus requirit cor. Religio enim uera non debet in labijs nasci, neq; in ijs tantum uersari.  
Iesa. 29.  
Rom. 10.  
Luc. 8.

**Declinantes)** 4. Ratio. Deficientes ad falsam religionem propter pacem & tranquillitatem, punitum iri, sed stabiles & firmos in fide, habituros pacem. Nam mira sunt cibrationes in persecutionibus. Multi ad uoluntates potentum sese inclinant, applaudunt alijs religionibus, fundunt uiculos more Aaron, hoc est, fingunt cothurnos, ad fauorem & pacem mundanam aucupandam & conciliandam, ut fiebat tempore Antiochi, & nostro, cum Interim proponeretur.  
Exod. 32.

E

Ad prauit



## IN 6. PSAL. GRADVVM

**Ad prauitates)** Ad tortuositates suas Luth: *Auff ire Erren, me wege.* Chald. In obliquitates suas. Græcus *σπάρυελλιας*, obligatio- nes uertit. Est autem Epitheton falsæ religionis, & nefariarum machina- tionum hypocritarum & impiorum. Nam reuera falsæ religiones sunt uicæ obliquæ, à uero tramite deflecentes, & sunt seductiones atq; errores.

**Suas)** *Emphasis.* Non sunt Dei uicæ, sed ipsimet eas ex suopte ce- rebro effinxerunt.

**Ducet)** Iudicium Dei, hoc est, puniet eos iuxta comminationes diuinas, quibus omnes impij sunt subiecti. Est q; *Emphasis* in uerbo ducet, hoc est, præter ipsorum opinionem eos pœnis subiiciet, & non eos liberabit ferocia seu potentia propria. Græcus *ἀσάξα*, Iolichem, faciet eos ambulare. Alludit ad iudicium postremum, in quo Christus ducet ad im- pios: *Ite maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. Chald. *Deducet Do- minus in gehennam.* *Emphasis* est etiam in uoce Iehouah: *Hunc metuant impij, etiamsi nullos homines in hoc mundo reformidare uidentur.*

**Operari**  
**iusticiam.** Operantes iniquitatem hic impenitentes uocat, perseuerantes in delictis contra legem Dei. E contra operari iusticiam alijs uocat, exer- cere sese in noua obedientia.

**Pax)** *Antithesis.* Complectitur autem temporalia & aterna bo- na quæ pijs contingunt.

**Israel)** Sic uocat Ecclesiam, Suprà appellauit confidentes in Do- minum, populum suum & iustos.

## DOCTRINA.

**1.** De proprietatibus Ecclesiæ Dei, nempe, quòd confidat in Domino et sit iusta. Sic fides ubiq; celebratur, quòd sit peculiaris nota Ecclesiæ ueræ.

**Hæc autè fides nittur Domino, hoc est, misericordia Dei et merito Christi.**

**2.** Ecclesiam Dei in cruce & aduersitatibus mirabiliter & poten- ter à Domino conseruari, ne opprimatur.

**3.** Item, Ecclesiam Dei esse perpetuam, nec posse deleri, quantum- uis infestetur à Diabolo & mundo. Intereunt interdum aliqui pi, sed non tota Ecclesia. † Dominum

4. Dominum perpetuò cingere pios, eosq; conseruare ac protegere. Non muri, non gladij, non bombardæ tuentur pios, sed iste Dominus, sedens ad dexteram patris. Inde est, quod inquit: Omnes capilli capitis numerati sunt. Item: Nemo rapiet eos de manu mea. Dominus pugnat pro suis. Sic ad Saulem clamat, Quare tu me persequeris? Ego sum Dominus, quem tu persequeris.

5. Deum impios Magistratus tollere, ne perpetua Cruce prorsus opprimantur pii, aut diuturnitate & tædio crucis debilitati deficiant. Id uerò patet ex historia Iudæorum & totius mundi.

6. Deum cumulare omnis generis bona bonis, hoc est, Deum rectè & seriò colemtibus, rectè confidentibus Nomen Domini, licet impij pios functionibus & possessionibus ad tempus excutiant.

7. Vacillationes & cessiones in religione, & defensiones corruptelarum in doctrina & cultibus, tandem adferre poenas temporales atq; æternas. Quid profunt igitur collusiones cum impijs? quid conducunt coluburni & confusiones dogmatum?

8. Pacem cordium & pacem æternam, esse bona Ecclesiæ Dei. Imò etiam pacem politicam Deus conseruat, & eam pro suo arbitrio pijs concedit, propter Ecclesiæ suæ incrementa.

## CXXVI. PSALMVS.

EST publica congratulatio seu gratiarum actio, de liberatione ex captiuitate magna, qua ciues Hierosolymitani & populus Iudaicus, miraculoso Dei beneficio, ex tristis & longo exilio restituentur in pristinum locum, singulari cum gloria & gaudio. Prædicat autem Dei opus magnificum, & quòd sparsio uerbi diuini inter maximas afflictiones, & inter exilia quòq; facta, non sit irrita futura, & quòd confessores & propagatores cœlestis ueritatis, in futura uita ingenere laudem & gloriam sint consecuturi. Non igitur frangantur exilijs, uexationibus

## IN 7. PSAL. GRADVVM

uexationibus, & ærumnis huius uitæ. Variant autem interpretes in expositione istius Psalmi. Alij de captiuitate Babylonica accipiunt, & uel Prophetiam de ea existimant, uel opinantur, post eam ab eccellente uiro Psalmum conscriptum esse. Alij de Romana captiuitate intelligunt, quæ tamen nunquam desijt, nec desinere debet ante nouissimum diem. Alij spiritualiter exponunt, de liberatione ex peccato, facta per Christum propiciatorem & redemptorem, iuxta dictum Iohan. 3: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Nos historiam tenebimus, missa temporis, quando hic Psalmus sit conscriptus, circumstantia. Nam Deo futura etiam sunt presentia.

Partes sunt duæ.

1. Leta gratiarum actio.
2. Consolatio, aduersus ærumnas Ecclesie consentis & prædictis cantis uerbum Dei.

## DE PRIMA PARTE.

Celebratur miranda liberatio Sionis, id est, Iudæorum ex captiuitate dura, humanis consilijs quidem insuperabili.

In conuertendo) Narratio operis diuini, ingentis, admirandi. Estq; antecedens. Emphasis autem est in uerbo. Nam innuit Prophetam, Deum ipsos prius extrusisse in exilium, idq; propter peccata. Nam loco suo superbientes & confidentes, multa superbe agebant, & peccata cumulabant, nec uolebant audire Prophetas monentes. Ideo Deus ex nidis eos uoluit excutere, ut in exilio discerent humiliter de se sentire, & Domini uicissim recordarentur. Præterea uoluit etiam probare piorum constantiam in agnita ueritate & in fide, eaq; occasione uerbum suum etiam inter gentes spargere. Qua quidem de re, secunda pars Psalmi docet.

Conuertit itaq; captiuitatem Iehouah, quando reducit iterum suos exules. Estq; Emphasis in uoce Iehouah. Non suis uiribus, consilio, studijs, imò ne aliorum quoq; probitati aut sapientiæ, tantam tantarum rerum

rerum conuersionem tribuit. Sed soli Iehouah, in quo uiuimus, mouemur & sumus Sic Deus percutit & sanat: Mortificat & uiuificat. Detrudat ad inferos & reducit. Deprimit & exaltat.

**Captiuitatem Sion**) Sion pro ciuibus Ierusalem, & toto Sion. Iudæorum populo. Sionios quoq; ciues notat fore in captiuitate, & tamen liberandos. Nam debebant Iudæi in Sion habitare, usq; ad Messicæ aduentum. Postea uerò inde propulsandi erant, ut sacræ literæ docent, cui quidem historia exactè respondet.

**Erimus**) Exaggeratio rei. Nam omnis honor liberationis, reductionis, restitutionis huius populi adscribitur Iehouæ & nulli hominum. Imò clarè profitentur, præter omnem suam cogitationem, sibi talia ac tanta euenire, quæ nunquam in animum suum induxissent. Plena enim erat diuinorum miraculorum, liberatio isthæc ex captiuitate Babylonica, ubi 2. Para. 36, Esdr. 5. Cyrus eum singulari gratia, restituit uasis templi & donarijs adiectis, ad restitutionem templi & ciuitatis, ut historia docet, populum Iudaicum dimittit. Videbimur, inquit, quasi somniare tantam felicitatem, quæ nobis contingit, Erimus quasi attoniti ad tantas res.

**Tunc**) Consequens. Ergo erimus læti, agnoscentes, magnificantes & celebrantes hæc amplissima Iehouæ beneficia.

**Risu**) In exilio acerbo os lachrymis perfunditur, mœsticia tabescunt homines. Sed in lætitia, tota facies iucunda est. Ori autem risum præbet, Quia ibi quoq; risus seu lætitia cordis sese exerit. Hiat enim os, & risus gestum mirabiliter representat.

**Lingua**) Lingua est interpretes mentis. Solent autem mœsti ac lugentes pauca loqui, uel etiam prorsus quasi obmutescere. Interdum lingua querula est, sed dolores orationem quasi strangulant atq; enecant. Hilaris autem sunt garruli.

**Exultatione**) Gloriationem & celebrationem non uulgarem notat, sed ingentem, ita ut totum corpus quoq; gestiat illa laudatione. Hæc in. Esdra declarantur.

**Tunc dicent**) Exaggeratio. Gentes quoq; agnoscent hæc ingentia Dei opera, & Deum celebrabunt. Est autem propheta de gentium

## IN 7. PSAL. GRADVVM

Ecclesia. Constat porro, Cyrum Daniels contionibus adueri Dei cognitionem esse deductum. Peruinebat autem ad gentes quoq; restitutio populi Iudaici. Ratio est, Nam Messias, *עֲוֹן מִן־הַיָּמִין*, eo in loco debebat exhiberi, ac contritio capitis serpentis ibi debebat perfici.

Magnifica) Restitutione, gloria, reparatione ciuitatis & templi. Hæc omnia sunt magna, ardua, miraculosa, amplissima.

Magnifica) Assueuatio, & consonantia Ecclesie Iudaicæ & ethnicæ suauissima. Verè inquit, MAGNA nobis Deus præstitit. Esi autem Iudæi in quibusdam habebant prærogatiuam, tamen Christus cum suis meritis, commune bonum est Iudæis & gentibus, Id quod luculenter docent sacra literæ.

Conuertite) Gemitus, ut Deus totam liberationem perficiat. Nam lentè restauratio omnium rerum procedebat, ut historia indicat.

## DOCTRINÆ.

1. Populum Dei etiam propter peccata pœnis subijci, ut discat agere pœnitentiam, & ut omnibus mortalibus fiat manifestum, Deum non esse prosopoleptam.
2. Deum miraculosè ex immensa misericordia aliquoties populum suum restituisse in integrum, supra et contra hominum cogitationes. Imò semper mirabiliter conseruare & ex periculis eripere suam Ecclesiam plerunq; uagantem in exilio.
3. Beneficia Dei cognoscenda, & grata memoria prædicanda esse.
4. Beneficia exhibita Iudæis, etiam sua ratione ad gentes pertinere.
5. Ecclesiam gentium & Iudæorum esse unam, & communibus bonis frui. Ideo Christus iubet prædicari Euangelium ad gentes.

DE SECVN

DE SECUNDA  
PARTE.

Consolatio Ecclesie Dei in multiplici cruce & varijs aerumnis huius uitae, quod finis tandem bonus sit consecuturus, & quod sparsio uerbi diuini in plurimis afflictionibus habitura sit in nouissimo die praecelam laudem & gloriam.

Qui seminat) Transfert hypothesein in priori parte positam, ad thesin, & uititur pro uerbali sententia.

Lachrymae, complectuntur afflictiones omnis generis duras Ecclesie Dei, quae cum pijs non sunt silices, excutunt saepe lachrymas & querelas.

Seminare, Metaphoricè significat hic confiteri, tradere, propagare uerbum Dei. Nam haec est proprietas & nota Ecclesie Dei. Hac comparatione uititur filius Dei. Math. 13.

In exultatione) Fructus tamen boni consequuntur sinceram Euangelij doctrinam & Confessionem, tum in hac, tum in altera uita.

Euntes) Expositio praecedentis dicti, Ac describitur cursus & status Ecclesie Dei in hac uita.

Euntes) Exilium in quo uagatur Ecclesia describitur. Esi enim quaedam Halcyona Deus ex misericordia concedi, ad plantationem uerbi diuini, tamen persecutores subinde ingruunt. Ac sunt illi omnium maxime expositi illis excussionibus & exilijs, qui alijs confessione sinceræ doctrinae, & refutatione falsæ praecunt. Sic patriarcha, sic propheta, sic Christus & Apostoli in exilia sunt profligati. Interdum & totæ gentes suis sedibus sunt excussæ. Significat igitur hæc phrasis, Euntes eunt, & multos in exilium pelli, & ualde dura exilia subire ac pati.

Et flentes) In exilia pulsati, exuri possessionibus, & non habentes quo pedem tutò figant, & fame cum suis confluentes, sentiunt carnis imbecillitatem. Non enim sunt ἀσώπιοι in eiulatu tenerrimorum liberorū genuum imbecillū matrum. Et sarcasm. atq; insultationes impiorū uulnerant corda

## IN 7. PSAL. GRADVVM

corda piorum. Esai. 33. Nuncij eorum clamabunt foris. Nuncij pacis amare flebunt. Sic Psal. 84 prorsus eadem sententia traditur: Qui trans eunt per uallem.

**Portant)** Hæc est proprietas piorum, quod nihilominus portant, hoc est, retinent, sonant, confitentur, propagant doctrinam celestem, quocunq; terrarum uenerint. Et habent ipsi domesticam Ecclesiam, & subinde plures Christo lucrifaciunt. Ac Deus mirando consilio interdum permittit pios in peregrinas regiones pelli, ut & in ijs uerbum Dei plantetur. Sic Abraham, sic Ioseph in Aegyptum translati, ibi Ecclesiam Dei plantant. Daniel in Babylonia & Persia, &c.

Matth. 17.

**Preciosum semen)** Reuera uerbum Dei est preciosum, Quia est sapientia Dei, & quia per illud homines docentur de rebus cælestibus, alioquin ignotis rationi humane, per illud regenerantur, iustificantur, sanctificantur, saluantur. Christus comparat Margaritæ. Et cogita, quid sunt opes totius mundi, quod ad præstantiam & effectum, collata ad uerbum Dei, quod est potentia Dei, ad salutem omni credenti? Disputant Hæbraei de uoce Mesech, quod extenu, prolongatū significat, Vnde aliqui uertunt tractionem seminis, quod uerbum Dei, more agricolæ, arte seminant. Sed cum & Munsterus in sua uersione retineat uocabulum preciosum, ut & Lutherus, tragen edlen samem / & sententia sit præclara, ideo & nos retinebimus. Græcus hoc epitheton omisit.

**Venientes)** Certo uenient & quidem frequenter. Loquitur de nouissimo iudicio, ubi unicuiq; reddetur secundum opera sua. Roma. 2. Ibi uerò confessio ueritatis dignam laudem consequetur. Matth. 5. Merces uestra copiosa erit in cælis.

Luc. 21.

**Cum exultatione)** Attollite capita uestra, inquit Christus, quia redemptio uestra appropinquat. Opponitur autem laticia piorum in iudicio postremo, mærori impiorum. Sic Christus inquit: mæror uester (scilicet in me credentium) in gaudium conuertetur, Iohan. 16.

**Portantes)** Ibi cernent fructus Euangelij, & reportabunt præmia amplissima & æterna, contra impiorum iudicia in hoc mundo.

DOCTRI-



DOCTRINÆ.

1. Plantationem doctrinæ celestis fieri non posse in hoc mundo, sine multis afflictionibus. Sic Christus inquit: Non est seruus supra Dominum, &c.

2. In ipsa cruce & persecutionibus Ecclesiæ Dei, non esse abijciendam confessionem doctrinæ sanctæ.

3. Subsecuturam esse læticiam & gloriam in altera uita. Huc toto pectore respiciamus & contendamuse

CXXVII. PSALMVS.

Didacticus est hic Psalmus. Docet enim de Oeconomia, politica, operibus uocationis & liberis, quod ista omnia sint à Deo ex gratuito dono, & quod Deo fauente & benedicente, sint felicia, nec sint tribuenda cæcæ fortune, aut consilij, studijs, laboribus humanis. Ista igitur opponuntur Epicureismo & præsumptioni.

Partes igitur sunt quatuor.

- 1. De Oeconomia.
- 2. De politica.
- 3. De operibus uocationi.
- 4. De liberis.

DE PRIMA PARTE.

De Oeconomia, quod sit à Deo, & ab ipso gubernetur.

Nisi Dominus) Vnde sint domus & tuguriola hominum, sub quibus tuò possunt habitare & uiuere, nempe à Deo, qui cui libet suum locum

## IN 8. PSAL. GRADVVM

locum assignat in mundo, & conseruat ædificia, possessiones, familiam, non hæc in arbitrio, consilio aut opera hominum consistunt. Deus homini habitationem construxit ac deputauit, priusquam conderetur ex terra puluere. Posuit enim eum in horto Eden. Postea uerò licet propter peccatum omnes sumus extra paradysum, in hunc terrestrem mundi globum dissipati, tamen Deus cuiq; suum locum attribuit, ubi uelit eum nasci, citra consilium hominum, & ubi eum uelit habitare, id quod quotidiana experientia declarat. Et si autem scelerati interdum ut quadam occupant domos, tamen Deus uel permissiue ex ira ibi eos relinquit propter hominum peccata, uel iterum excutit, aut eis maledicit.

*Aedificare domum.*

Porro adificare domum, completitur non tantum primam illam contignationem & constructionem, sed conseruationem, protectionem, successus omnium rerum in uita domestica. Hæc p̄s peccatoribus agnoscenda sunt, & excutienda est securitas ac prophanitas, quæ opinatur omnia casu aut cæca fortuna sic uolui. Deniq; superba præsumptioni, opponenda sunt, quæ suæ industria, diligentia & laboribus ista adscribit. Sed ualde dulcis est locutio Dei, quod uelit suo populo felicitatem largiri, ut securè sub sua ficu & uite possint sedere.

In vanum iudicium Dei, quod sine Deo, hoc est, sine cognitione Dei, sine inuocatione eius, sine præsentia, custodia & benedictione Dei, domestici labores omnes, non habeant felicem successum. Aedificant profani, alter inhabitat. Colligunt impij, alij fruuntur collectis, Dissolunt, pereunt omnia. *Es hat kein geden / kein segen.*

## DOCTRINÆ.

- I. Deum approbare Oeconomiam & eius opera, Quia ipse adificat domos.
2. In Oeconomia debere cognitionem ueri Dei uigere, & inuocationem eius, ut uera fide statuamus, Deum adesse & præesse Oeconomiam, & benedicere omnibus actionibus Oeconomicis, dare uires corporis, bona consilia, prouentum frugum, pascere familiam, & etiam modicis facultatibus benedicere.

3. Vbi

3. Vbi non est agnitio Dei in Oeconomia, nulla inuocatio Dei, nulla fides, nulla exercitia pietatis, ibi nullam esse Deibenedictionem. *Dixit* *geher* *haus* *vno* *hoff* *eiu* / *&* *magna* *opes* *quoq;* *diffuunt*, *omnisq;* *labor*, *ut* *hic* *dicitur*, *est* *uanus*.

4. Oeconomia finis est, ut liberi educantur ad cultum Dei. Vbi igitur parentes, familia, liberi non colunt Deum, quantumuis magnos labores sustineant, tamen in uanum laborant. Pietas igitur requiritur in Oeconomia.

## DE SECUNDA PARTE.

De policitia, quod ea stet & floreat, Deo eam obumbrante & custodiente, non uigilijs, praesidijs & consilijs hominum, quantumcunq; illi prudentia, uirtute, opibus excellent.

Nisi Dominus) Politia, ciuitates, regna, sunt congregationes hominum sub Magistratibus, certis legum & constitutionum uinculis inter se colligati uiuentes. Nam ipsa ratio homines docet, ut cohabitent. Et bestiae sunt illi homines, humano nomine indigni, qui praeter necessitatem, solitudines et antra ferarum quaerunt & incolunt, ut Heremita, Quae quidem superstitionem Christus disertè prohibet. Matth. 24.

Custodire ciuitatem, significat generaliter omnia hoc loco quae ad tranquillitatem, ad incrementa, ad ornatu, ad durationem ciuitatum & regionum pertinent: Ut sunt boni Magistratus, iudiciorum reuerentia, obedientia ciuium aut subditorum, pax publica, opes mediocres, & similia.

Sunt autem regna & ciuitates obnoxiae maximis motibus & mutationibus, idq; propter intestina mala, ut propter irrequietos ciues, uel propter impios & iniustos Magistratus, uel propter externa pericula & afflictiones. Nam Diabolus latrocinia & caedes in mundo non desinit concitare & exercere. Nec ulla respub. extra eiusmodi pericula est constituta. Iam non quidem hic reprehenduntur uigilia, praesidia, consilia, quibus respublicae in tranquillo statu conseruantur, & omnia tranquilla,

## IN 8. PSAL. GRADVVM

tranquillè, iuste & ritè administrantur & fiunt, sed fiducia in suam sapientiam, auctoritatem, potentiam, munitiones, sine Dei cognitione, inuocatione & cultu. Maxima igitur regna, summa reipub. in mundo, mirabili interdum occasione interierunt, ut Ierusalem, Athenæ, Roma, Babylon, Alexandria, & similibus historiæ declarant. Sicut enim initia ciuitatum & regnorum, ita periodos eis Deus constituit. Deus igitur conseruat respub: & regna, quamdiu quidem ipsi uisum est, & non diutius.

**Frustra**) Hac opponuntur Epicureismo, & superba in proprias uires & munitiones confidentia. **Wir haben eine feste Stadt/ ein starck Haus/ erfarne Kriegshelden.** De his inquit spiritus sanctus, **FRVSTRA** ista sunt omnia, nisi Deus custodiat. Ideo toties illi Thraiones pudefiunt, qui sine Deo uolunt esse fortes. Munitiones quidem non prohibentur. Iussit Deus muros Ierusalem reparari. Sed fiducia in munitiones prohibetur, quia sine Iehoua frustraneæ sunt. Politiarum finis præcipuus est, ut Iehouah apud eas rectè cognoscatur, inuocetur, & colatur, non opum accumulatio immensa, non uoluptates, non gloria. Vbi igitur Iehouah non cognoscitur, inuocatur, colitur, tandem percutit politia, Id quod cur sus totius mundi probat.

## DOCTRINÆ.

**1.** Politias, Magistratus, regna, esse ordinationem Dei, & omnia opera legitima in eis Deo probari. Eiusmodi fundamentum suarum rerum non habet Monastica uita. Ergo Magistratus & Subditi in hoc suo statu optima conscientia Deo seruire possunt.

**2.** In politijs Iehoua cognoscendum & colendum esse, iuxta uerbum diuinitus patefactum. Quando igitur homines idola colunt, aut falsa dogmata, & impios ritus exercent aut defendunt, ipsum Iehoua offendunt, & pœnas multiplices sibi accersunt.

**3.** Nullam politiam quantumuis firmatam hominum sapientia, opibus, laboribus, diu stare posse, sine custodia Iehouæ, idq; agnoscendum esse ut hunc conseruatorem politiarum ueneremur & inuocemus.

**4.** Confiden-

4. *Confidentiam in suam ipsius sapientiam, dexteritatem, uires, tandem esse infelicia. Eueritur Cicero suis consilijs, qui tamen gloriabatur: Eum esse uirum magnum, qui non penderet ex alio, sed in sese haberet omnia reposita. Atax sine Deo uolebat uincere, sed furore correptus, peccora maciat, putans sese homines interficere. Timotheus Dux Atheniensium, & greferens homines se dormientem pingi, & prope eum fortunam, reti insulas & ciuitates capientem, parata præclara uictoria, in Senatu prorupit in hæc uerba: Hæc EGO feci, non fortuna. Post hoc dictum non habuit ullum felicem successum. Nebucadnezar inturgescens in suo imperio, in Babylónico palatio inambulans inquit: Hæc est illa Babylon, quam EGO condidi. Verum mox manum Dei punientem sentit.*

## DE TERTIA PARTE.

*De operibus uocationis in genere, quod ea absq; fide in Iehoua, non sint felicia aut salutaria. Nam omnibus in tota uita hominis debet præuocare fides.*

*Frustra) Omnibus hominibus impositus est labor. Nam Deus prohibet ocium, & uult, ut in labore honesto uersentur homines, ad uitium parandum, & bene merendum de alijs. Ocium ualetudini, sibi & alijs nocet. Nam homines nihil agendo, malè agere discunt.*

*Ante lucem) Hæc non per se taxantur, sed propter fiduciam in suos labores, absq; fide in Iehoua, ac si absq; Deo quis posset sese sustentare.*

*Serò) tardare sessionem. Videas non nullos etiam diebus Dominicis laborare, & negligere sacras contiones, tanquam rem non ualde necessariam.*

*Panis dolorum appellatur, qui multo sudore, multa anxietate paratur. Man leffers im blut sawr werden. Frustra est, inquit, hoc est, eiusmodi labores absq; fide, absq; inuocatione Dei sunt infelices.*

## IN 8. PSAL. GRADVM

Non igitur est quod mireris, uel etiam indigneris, tibi tantopere sudantis, nihil prosperè succedere.

Somnus

Cum det) Somnus hic opponitur fiducia in suos labores. Estq; prouerbialis sententia, Deus etiam dormientibus largitur, scilicet, sua benedictione, Das man nicht weis/ wo es her kömpt/ es schneiet zu / es schlegt alles zu glück/ es gedeiet alles. Disertè autem inquit, Dilectis suis, hoc est, quibus Deus fauet & benedicit. Nam benedictio Domini diuites facit, non labores humani. Diligit autem Deus, qui se cognoscunt, timent, inuocant, fidem ponunt in promissiones diuinas. Hinc uulgò dicitur de talibus, quibus omnia sunt prospera, licet non tam duriter laborent, Da wonet Gott. Item Somnus opponitur diffidentia & curis diurnis nocturnisq; de uictu, absq; fide, tich ten tag vnd nacht auff die narung/ & tamen non habent felices processus.

## DOCTRINÆ.

I. Absq; Deo propicio labores uocationis non esse saluatares & felices. Sed Deo propicio, etiam mediocribus laboribus iuxta uocationem benedicti.

z. Opera uocationis, pralucente uera in Deum fide, facienda esse, hoc est, in uera inuocatione & certa persuasione, quòd Deus sit largiurus necessaria.

## DE QVARTA PARTE.

De liberis, quòd ij non sint tribuendi uoluntati humane, sed sint dona Dei, præsertim generosi & saluatares. Vides igitur totum hunc Psalmum docere, ut Deum datorem & conseruatozem uitæ humane, & omnium bonorum cognoscamus & prædicemus.

Ecce) Stuporem hominum non nihil uult excutere.

Hereditas)

**Hereditas)** Sunt merum & gratuitum Dei donum, sicut terra sancta, hereditas Israel erat donum Dei, nullo opere aut merito à populo impetratum. Sic hereditas liberorum, ex dono absq; proprio labore eis obuenit.

**Merces)** Hac uox hic pro dono accipitur, non pro compensatione laboris. Homini profani existimant casu ista accedere, uem sese re-  
Eiè informare liberos.

**Sicut)** Describuntur boni generosi frugales liberi. Estq; militaris comparatio, Quia magnam decus est, habere liberos, propter communem patriæ tranquillitatem fortia arma induentes, id quod in rebus publicis præclararum merito habetur.

**Filij excussorum)** Mala uersio Porius filij adolescentes uertendum iuuentus autem & animo & uiribus pollet ad gerenda bella. Versus est notus:

Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora.

Ἔργα νέων: βουλὰ δὲ μέσων. Εὐχαὶ δὲ γερόντων:

**Beatus)** Epiphonema. Ac reuera generosi ac frugales liberi sunt mera & ingenia dona Dei.

**Non confundentur)** Erunt etiam boni politici, ius se uiuentes, & sapienter iudicia exercentes. Nam in portis antiquius conueniebant senatores, & iudicia exercebant. Significat igitur tum bonos milites tum bonos senatores & patres familias à Deo donari.

## DOCTRINÆ.

1. Liberos & quidem bonos, esse peculiare Dei donum, quod non est situm in cuiusq; hominis arbitrio. Errant igitur Manichæi, qui substantiam humanam dicunt esse ipsummet peccatum originis

2. Heroicos motus & fortitudinem bellicam, esse donum Dei, & miliciam instam non esse à Deo prohibitam.

IN 9. PSAL. GRADVVVM  
CXXVIII. PSAL-  
MVS.

**E**ST Epithalamion suauissimum & elegantissimum, quo piè & rectè instituuntur coniuges, uel qui animos ad uxores ducendas adiungunt, & omnia fausta eis prædicuntur & optantur. Voluit autem spiritus sanctus occurrere cogitationibus de molestijs, difficultatibus & aduersitatibus uitæ cõiugalis. O si Monastica uita tantum haberet elogion, quanto pere superbiret? Sed uidere est in sacris literis passum coniugium summis euehi laudibus.

Partes sunt quatuor.

1. De pietate coniugum.
2. De laboribus in querendo uictu.
3. De fecunditate coniugium & liberorum præstantia.
4. De politiarum conseruatione propter coniugia.

DE PRIMA PARTE.

Primum præceptum & regula præcipua Coniugij est, ut coniuges sint pij, addita promissione. Nam sine pietate, hominis uita deterior multo est bestiali. Et cum uita coniugalis uarijs sit obnoxia periculis & molestijs, ideo in primis decet Coniuges, Veræ ac seriæ pietati esse deditos. Rectè autem dicitur: Coniugium esse scholam fidei.

Beati) Matth. 6: Querite primum regnum Dei, &c. Timere autem Iehouah, phrasis est hebræa, complectens totam pietatem, imprimis uerò cultus prioris tabulæ Decalogi, nempe, noticiam Dei, inuocationem eius, fidem nitentem promissionibus diuinis, amorem uerbi diuini, & ne cupiamus scientes & uolentes Deum patrem offendere, aut penas diuinas in nos concitare, faciendo talia, quæ uoluntati diuinæ aduersantur. Significat igitur filialem timorem Iehouæ, non seruilem.

Omnes)



Omnes) Profopolepsiam apud Deum remouet. Timor tamen Iehouæ uniuersalem restringit. Nam profani homines, non agentes penitentiam, non uenerantes Iehouah, hic sunt exclusi. Immota enim est sententia: Odit Deus omnes operantes iniquitatem, scilicet, non agentes penitentiam. Psal. 5.

Beati) Promissio. Est q; phrasis ut Psalm 1. significans copiosam beatitudinem, id est, habet Deum fauentem, & omnis generis bonorum corporalia, tum spiritualia largientem.

Qui ambulant) Expolitio qualis pietas requiratur à coniugibus, nempe, quæ habet Normam uerbi diuini, in monumentis Prophetarum & Apostolorum reuelatam. Nam non est pietas, quando Coniuges nouerit perpetuam continentiam contra naturam. Rom: 7. aut communi consensu in Monasteria discedunt, contra legem coniugij Matth. 19. 24. Viæ igitur Domini, in quibus est ambulandum omnibus timentibus Deum, est uerbum Deo cælestis patefactum & traditum, non sunt somnia humana. Est autem Decalogus compendium uiarum Domini, quantum quidem ad obedientiam Deo debitam atinet. Viæ Domini

## DOCTRINÆ.

1. Omnium statuum, & imprimis Coniugij Normam esse debere, ueram pietatem, sine qua nihil est fortunatum, idq; non tantum ut homines cognoscant, coniugium esse à Deo, conseruari à Deo, sed etiam ut coniugium ad gloriam Dei dirigatur, & pietas colatur & propagetur in coniugio.

2. Veram pietatem esse timorem Iehouæ, & ambulare in uijs eius, non in uijs hominum dissidentibus à diuinis, quantacunq; sapientia uel sanctitate ornentur.

3. Vias Domini quas uult homines ambulare, hominibus esse notas.

4. Pietatem esse arma coniugum, quibus sese aduersus omnes generis tentationes & aduersitates munire debent.

G

DE SECVN-

IN 9. PSAL. GRADVVM

DE SECVNDA  
PARTE.

Secundum est laborare, hoc est, opera suæ uocationis expedire, prælucente fide in Iehouah, uti promisit. Additur & hic benedictio.

**Labores) Coniugium & Oeconomia sine uictu & necessaria sustentatione non possunt durare. Vult igitur coniuges non esse ignauos, sed laborare, scilicet, pro cuiusq; uocatione, & quidem utriq; Coniuges, debent operas suas conferre ad Oeconomiam conseruationem. Probat igitur Deus opera Oeconomiam omnia, cum uerbo suo non pugnantia. Ocium autem attenuat facultates, adfert inopiam, impedit multa necessaria facta, nocet uicinis & reipublicæ. Ac Magistratum erat officium, non tolerare ignauos Coniuges, qui sunt prodigi & reipublicæ non usui, sed detrimento potius.**

Menander.

S. Lutherus  
Tom. 8.

**Manuum) Volarum tuarum. Non tantum sinas alios laborare, labores tu quoq; ipse. Vnus est seruus domus, ipse herus.**

Der Herr mus selber sein der Knecht/

Wil ers im Hause finden recht.

Die Fraw mus selber sein die Magd/

Wil sie im Hause schaffen rat.

Gesinde nimmermehr bedenck/

Was mus vnd schad im Hause brenge.

Es ist in nicht gelegen dran/

Weil sie es nicht für eigen han.

Prohibentur etiam rapina, furta, sycophantia, impostura aliorum opes ad se transferre, frui Eleemosynis extra laborem, ut Monachi, Canonici, pontificij, & id genus hominum.

**Beatus) Deus probat tuos labores, eos inuat, regit, fortunat. Ergo ociaior, decoctor, raptor est maledictus.**

Etbene)

Et bene) Omnis generis bona huic promittuntur. Non est enim inopia timentibus eū. Psa. 33. Dat dilectis suis per somnū. Psa. 127.

DOCTRINÆ.

1. Dum uelle, ut omnes homines & Coniuges quoq; honesto labore sibi suisq; uictum parent. Gen. 3.

2. Opera Oeconomica Deo placere, & coniuges suis laboribus Deo seruire, & prestare Deo cultum, modo labores prælucente sine perficiant.

3. Deum uelle laboribus Coniugum, & toti uictui ipsorum benedicere, id quod experientia quotidiana attestatur.

DE TERTIA PARTE.

Promissio & doctrina de fecunditate & dignitate uxorū, & liberorū elegantiā & utilitate.

Sicut uitis) Pulcherrima comparatio. Vitis est arbutum debile, opus habens fulcro, quod suis capillamentis fortissimè apprehendit, sed liquorem fert generosissimum & copiosissimum, quo corda hominum recreantur & exhilarantur, eamq; ob causam, in magno honore & cultura est. Domesticam autem uitē, selectam & præstantiorem describit, ad domum plantatam, ambientem, tegentem, ornantem domum, & non modò umbrā, sed botyos excellentes & copiosos ferentē, ut sæpè uidemus.

Vxor similiter est debile uasculum, sed alligatum est uiro nexu inseparabili in hac uita, ornat uirum & exhilarat, tum totius uitæ cohabitatione, consolatione & officijs mutuis, tum etiam pignora charissima & dulcissima, representantia imaginem parentum, proferens, alens, educans. Vbi autem manent molestiæ & difficultates? Respondeo. Omnes istius uitis pulchritudine & dulcedine obumbrantur, & quasi obliuio miraduntur.

Fili) Pictura liberorum in oculis Dei, & piorum parentum Nā as ægyptaliter iudicant. Olea autē arbor procera est, profentes baccas

## IN 9. PSAL. GRADVVM

copiose, quarum usus est in cibus, & imprimis pressæ non liquorem, sed oleum ex se mittunt, quod in cibus & in medicina in unctionibus & curationibus uulnerum & morborum maximum habet usum, taceo, quod etiam pacis signum olim fuit. Habet autem olea cum uite magnam cognationem. Ita liberi & dulcem parentibus aspectum præbent, succrescentes ut olea elegantes, & sæpè consolationi sunt parentibus, imò & nutritionem parentum adiuuant. Vidi ego Pastorem Evangelicum, qui quatuor habebat filios, quibus cum post acceptos cibos, aut aliàs quando à laboribus uel curis fessus erat, sacras Melodias quatuor aut quinque uocum magna cum elegantia canere solebat.

Ecce sic Epiphonema. Deus ipse hæc exaggerat, ut nos ita Dei dona amemus & magnificiamus.

## DOCTRINÆ.

1. Liberorum procreationem esse donum Dei, & esse singulare ornamentum in genere humano. Quod sanè maximi faciendum est. Nam hominem ex homine nasci, & quidem æternum hominem, id est ingens Dei miraculum. Sunt igitur *μὲν ἀγαθῶν* & monstra hominum, qui propter liberos uitant conugia, siue id fiat lege pontificia, siue alia malicia.
2. Filiorum sanitatem, adolescentiam, elegantiam, frugalitatem esse Dei donum pulcherrimum. Ideò autem Deus interdum finit debiles aut deformes nasci, aut degenerare, ut intelligant omnes, à Deo sanitatem & frugalitatem liberorum esse petendam.
3. Monastica uita nequaquam in sacris literis tanta Encomia habet.

## DE QVARTA PARTE.

Promissio seu consolatio, quòd Deus uelit politias conseruare, eisq; benedicere, ut floreat propter Coniuges & ipsorum Oeconomian.

Benedicat Benedicet. Complectitur autem hæc phrasis omnis generis beneficia, ex larga & benefica Dei manu.

## NUMERO CXXVIII 27.

**Ex Sion)** Quia ibi habebat templum, & ibi pollicitus fuerat, sese exauditurum preces inuocantium, idq; usq; ad Christum. Iob. 4.

**Bona)** Prosperitatem, florentem reipub; statum. Finis Imperiorum & ciuitatum est, tegere coniuges in sua Oeconomia, ut in ea possint liberos tuto & tranquille educare, in pietate & uirtute erudire, ut in ista societate Deus uerus rectè inuocetur & celebretur.

**Omnibus)** Singularis est felicitas diu cernere florentem reipub. statum, diu in unis aedibus habitare, non experiri exilia, demolitiones urbium, diuisiones parentum, trucidationes liberorum.

**Et uideas)** Exaggeratio. Est & hac singularis felicitas in uita, longam posteritatem cum gaudio intueri.

**Pacem)** <sup>Pax.</sup> **Votum.** Pax autem Synecdochicè hic comprehendit sic mul omnia pacis commoda, ut pios Magistratus, æqua iudicia, præmia uirtutis, pœnas scelerum, fertilitatem, bonorum coniunctionem & similia.

## DOCTRINA.

Propter Coniuges hunc mundum, regna & ciuitates à Deo conseruari, & non propter Monasticam uitam. Nam Coniugium est seminarium Ecclesiæ Dei, qui ex eo procreat liberos, qui renati, Deo in hac & æterna uita seruiunt. Nam hoc certum est, quando desinent partus mulierum & iste mundus desinet, & desinente hoc mundo, uita æterna sequetur.

## CXXIX. PSALMVS.

**G**RAtiarum actio est de seruata Ecclesia Dei in maximis tempestatibus & afflictionibus, tantum ope diuina, absq; consilio & uiribus humanis. Postea spiritu incallescens, prophetat omnibus hostibus Ecclesiæ Dei, hoc est, tyrannis & hæreticis, ultiones diuinas, quæ quidem eis



lis? Sic Ecclesia Israelitica, euadit Pharaonis arma, elucitur ex deserto, liberatur à Philistinis, Moabitis, Assyrijs & alijs hostibus, imò etiam uicti, & in exilia abducti, restituntur in sua loca. Et sanè miranda est uictoria piorum. Nam uicti uincunt, & sanguis martyrum est semen Ecclesie, quemadmodum & Christus morte sua mortem superat, uoratus ab inferno, infernum uincit, morsus à Diabolo, Diaboli caput conterit. Hæc sunt Dei opera, pertinet huc & ista consolatio: Nemo uos rapiet de manu mea. Cum ipso sum in tribulatione, &c.

Iohan. 10.  
Psalm. 91.

**Supra dorsum)** Pictura crucis seu afflictionum Ecclesie Dei. Estq; exaggeratio per comparisonem. Etiam si Deus lemit aduersitates Ecclesie ueræ & sæpè eam ornat uictorijs, concedit aliquas tranquillitates, tamen nunquam omnino crux discedit ab ea in hac uita. Et subinde sunt afflictiones piorum grauiores, quia mali spiritus animaduertunt, reuim mundanarum conuersionem breui instare. Dolent autem uehementer isti longi sulci in dorsis piorum tracti, hoc est, diuturna illa & graues afflictiones, ut sunt probra, exilia, carceres & huiusmodi. Aliqui interpretantur de clandestinis molitionibus contra pios.

**Dominus)** Aduersatiua & consolatio altera, quòd Deus uelit conatus & furores persecutorum retundere, & ipsos quoq; delere ut sequitur.

**Iustus)** Licet fræna nonnihil laxet impijs, & uideatur iniustus, tamen non mutatur, tandem iuxta suam immotam iusticiam impios punit.

Funes impiorum sunt ipsorum regna, potentia, possessiones & coniunctiones cum alijs, præsidia, munitiones, machinationes. Nam funibus olim solebant agros & regiones metiri. Et metaphorice etiam significat ligas, fœdera, societates malorum, aduersus Dei cultores ueros.

**Abscindet)** Omnes conatus impiorum dissipabit.

DOCTRINA

# IN 10. PSAL. GRADVVM

## DOCTRINÆ.

1. De cruce Ecclesiæ Dei, quòd ea sit diuturna & magna.
2. Partim manifesta ui, partim etiam clandestinis machinationibus impugnari Ecclesiam Dei.
3. Deum infringere ac retundere molitiones hostium, ut & 2. Psal. docet.
4. Non penitus deleri uerbum Dei & Ecclesiam, quantumuis frementibus & saeuientibus hostibus eius.
5. Protectiones & liberationes Ecclesiæ, quæ diuinitus accidunt, memoria repetendas, decaniandas & celebrandas esse.

## DE SECUNDA PARTE.

Oratio est & simul imprecatio, & prophetia, de repressione & pernicie hostium Ecclesiæ Dei.

Confundantur) 1. Pœna persecutorum, quam eis precatur, confusio, hoc est, consiliorum & machinationum impiarum reuelatio, infelicitas, frustratio, cum publica ignominia, ut Hamonis suspendium.

Conuertantur) 2. Pœna, repressio miranda nefandorum consiliorum & molitionum. Sic exercitus Assyriorum ante Hierusalem conuertuntur retrorsum.

Omnes) Sine personarum exceptione.

Qui) Sion Metonymicè pro Ecclesia. Osiores Ecclesiæ sunt Diabolus, hypoerita, idolatra, impij sacerdotes, impij Magistratus.

Fiant) 3. Pœna, quam eis imprecatur, interitus in ipso uirgore & flore. Estq; elegans comparatio. Herbae in tectis & muris citius quam altæ enascuntur, uirent, florent. Sed citius etiam ardore Solis flæcescunt, & absq; fructu collabuntur & intereunt. Tales sunt magni, potentes, superbi hostes Ecclesiæ. Ergo pij non offendantur ipsorum superbia & successibus, quia non diu durant.

Tectorum)



NUMERO CXXIX. 29.

Tectorum) In Iudæa planis tectis usi sunt.

Priusquam) Non manibus hominum perit, sed ardore Solis, quia non habet radices altas, destituitur succo.

De quo) Exaggeratio.

Et non dixerunt) 4. Pœna. Nemo ei benedicit, sicut ceteris frugibus à prætereuntibus solet benedici, Id quod adhuc familiare est hominibus, Ecce seges præclare nascitur, Deus ei benedicat.

Sed quomodo hæc imprecatio concordat dicto Christi: Dilecti Matth. 5. et inimicos uestros, orate pro persecuentibus uos? Respondeo. Loquitur Psalmus contra pertinaces, blasphemos, sceleratos, Semper autem eiusmodi imprecatio habet exceptionem, quatenus non resipiscunt. Et in pijs interdum sunt singulares motus & prophetiæ rerum secuturarum.

DOCTRINÆ.

1. Oratione obuiandum est hostibus uerbi diuini, & rectè Nomen Domini profitentium. Nec dubium est, Ecclesiæ preces infringere impiorum conatus, & adferre ipsis exitium.
2. Hostes piorum non esse diuturnos, sed ueluti herbas in tectis, mox languescere & exarescere.
3. Ecclesiæ hostes non audire à pijs benedictiones, sed maledictiones, quæ quidem non sunt uana.

CXXX. PSALMVS.

Psalmus est pœnitentialis, ideo in Ecclesia Dei inter præcipuos habetur. Manifestè autem tractat & declarat utraq; conuersionis ad Deum partes, nempe, contritionem, quæ ex Lege terruante est, & fidem acquiescentem in Misericordia per Christum promissa, quæ ex

H

Euangelio

## IN II. PSAL. GRADVVM

Euangelio est. Depingitur autem animus luctans cum suis peccatis, & sensu iræ diuinæ, & inter maximas tentationes sese erigens, sustentans, & uincens sola Dei gratuita misericordia, exuberante supra peccata, ut S. Paulus testatur.

Rom. 5.

Partes illustres sunt duæ.

1. De contritione.
2. De fide apprehendente misericordiam Dei, in Euangelio reuelatam.

## DE PRIMA PARTE.

Contritio describitur, hoc est, peccator depingitur, quomodo ex Legis intuitu, agnoscat, exhorrescat, ac deploret sua peccata, sensu nimirum iræ Dei & pœnarum commeritarum.

Contritio.

De profundis) Significat sese ex cogitatione suorum peccatorum, Lege ea monstrante, Rom. 3. sentire iram Dei, & non modo pœnas temporales, sed etiam aternas commeritum esse, & iam quasi in inferno esse & excrucari, Hoc est, sentit dolores in conscientia infernales. Sic sæpè in faucibus mortis & inferni se esse queritur. Nam contritio, non est leuis oris spuma, non est simulata mœsticia, sed est cordis angustia, palpitatio ingens, & acerbissimus sensus damnationis. Ac certum est, hanc de suis peccatis torturam sæpè tantopere ingrauescere, ut evanescant ferè omnes de gratia Dei cogitationes, & totum cor infixum sit in lutum profundum peccatorum. Imò, quòd horrendum auditu est, interdum suffocantur & submerguntur conscientia, magnitudine & multitudine peccatorum superata & prostrata, ut in Cain, Saul, Iuda, Spiera & alijs uidere est.

Clamaui) Gemitus illos conscientia palpitantis describit, in qua tamen fauilla adhuc fidei, inter densas quasi tenebras emicat. Nam non hic agitur de iudicio hominum, sed Dei. Et Deus pro sua

sua Maiestate id requirit, ne quis hominum ad se appropinquet, nisi profundè sese humiliet, ac fateatur cum dolore, sese totam massam peccato dilutam & sordidatam, in conspectum suum afferre, ac meritum esse iram ac infernum, si quidem uelit iuxta rigorem Legis iudicium ferre, ut paulò post sequitur. Sic Rom; 3. Paulus pronunciat: Omnes peccauerunt.

Ad te Iehouah) Quia Conuersio est actio coram Deo. Et nostra peccata sunt in Deum, quia ipse nobis Decalogum, obedientiæ humanæ Normam, tradidit. Et Dei est executio de uiolata sua Lege. Coram ipso igitur, ut nos humiliemus, necesse est.

Domine) Angustia & anxietas animi hac repetitione exprimitur. Procul autem hinc faceffit hypocrisis, sine mente & corde præ se ferens humiliationem. Presumptio autem seu fiducia in propria opera, qualis in tumido Phariseo depingitur, Luca 18. abominatio est apud Deum, & potius (ut in Propheta est) humiliatum & contritum spiritum respicit. Isai 66.

Si iniquitates) Declaratio profunditatis, in qua trepidat & excruciat, nempe, peccatorum suorum multitudo & magnitudo: Iudicium Dei supra illa: Legis diuinæ maledictio contra illa peccata: pœnæ temporales atq; æternæ, corporis & animæ.

Iniquitates) Peccatum originis cum omnibus suis fructibus contra Legem Dei. Rectè igitur græcus ἀνομίαν uertit.

Obseruaueris) Iuxta Legis rigorem contra omnia præcepta, & iuxta omniscientiam Dei. Nam nemo hominum omnia peccata nouit: Nemo atrocitatem omnium suorum peccatorum perficere potest: Nemo pœnas omnes illis peccatis commeritis considerare ualet. Sed Deus illa omnia nouit. Quomodo igitur iudicio cum Deo contendemus? Miser ille seruus, à Christo Matth. 18. propositus, decem millia talentorum sese debere ex registro (Legis scilicet diuinæ) cognoscit, unde pronus in terram collabitur, taliaq; balbutit, quæ ipsemet non intelligit, nempe, de soluendo hoc immenso debito.

## IN II. PSAL. GRADVVM

Quis subsistet) Nemo. Non est distinctio, inquit Paulus, omnes egent hic ea gloria, quam ad conspectum Dei adferre debebant. Rom. 3. Vbi igitur tumidi Pharisei & Monachi, gloriantes de Legis diuina impletione, de statu perfectionis, de operibus superogationis, & de uenditione bonorum operum, communicatione capparum & fraternitatum stabunt? Corruere eos omnes necesse est, hac diuina obseruatione peccatorum, lege nimirum sonante ex monte Sinai, & territante cuncta animalia. Sic Psal. 143: inquit: Non intres in iudicium cum seruo tuo, Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item: Concluserit Scriptura omnia sub peccatum. Opponuntur igitur huic contritioni securitas seu Epicureismus, duricia cordis, superbia pharisaica & Monastica.

Gal. 3:

## DOCTRINÆ.

1. Conuersionis ad Deum priorem partem esse contritionem.
2. Contritionem esse seriam peccatorum ex Lege cognitionem & dolorem, quo exhorrescimus nos Deum tantopere offendisse, & tantas pœnas commeruisse, non excusamus delicta.
2. De peccatorum nostrorum multitudine & magnitudine, si ad legem referantur & exigantur, contra filiorum huius mundi opinionem, qui peccata extenuant, imò non rarò palliant & ornant.
4. Dei esse iudicium de peccatis. Sed is totam legem habet in conspectu, & de toto homine iudicat, & nouit omnes omnium hominum omissiones & commissiones, & habet simul perfectissimam potentiam exequendi pœnas temporales atq; æternas.
5. Neminem mortalium post lapsum, immunem esse à peccatis, omnes esse reos, siue Abraham, siue Petrus, siue Paulus uocentur.
6. Omnes sibi metipsis arrogantes iusticiam impletæ Legis, Deum arguere mendacj, qui omnes mortales uerbo suo reos agit, & NON STARE pronunciat: Imò seuera Legis iusticia in infernum deturbari.

DE SECVN

DE SECUNDA  
PARTE.

De altera poenitentiae parte, nempe, de fide, sola gratuita Dei misericordia per Christum promissa, se erigente & nitente. Nam non est in alio quoquam salus. Act: 4.

Quia apud te) Aduersatiua. In Legis, iudicio inquit, omnes corruimus & perimus. Sed in propiciatione, quam Euangelium reuelat, surgimus, stamus & uiuificamur. Ci hoc loco, non est ratio, sed Aduersatiua uim habet.

Apud te) Emphatice, in Iehoua Non in nobis, aut nostris operibus, quia in nobis est, ut non stemus, ut simus morti & damnationi obnoxij Sed in Iehoua tantum est nobis auxilium, uenia, iusticia & uita reposita. Quod enim impossibile erat legi, eò quod infirmabatur per carnem, hoc fecit Deus. &c. Item. Christus factus est nobis sapientia à Deo & iusticia, & sanctificatio, & redemptio. Hac est illa mirabilis, ingens, dulcis dispensatio & ἐπιεικεία Euangelij, aeterna laude dignissima, quòd filius Dei factus homo, sua passione atq; obedientia, nobis peperit remissionem peccatorum, iusticiam, & uitam aeternam. Sic Deus dilexit mundum. Iohan. 3. Excluduntur igitur hisce uocibus, Apud te, omnia omnium hominum opera & studia, in hoc quidem articulo iustificationis apud Deum. Sequuntur autem reconciliationem cum Deo, sicut boni fructus bonam arborem.

Rom. 8.  
I. Corinth. 1.

Propiciatio) Remissio, uenia. Nam Iehouah factus homo, expiauit nostra peccata omnia, ut Baptista contionatur: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Reconciliauit nos Deo patri, sua passione & obedientia, peperit nobis iusticiam, qua quidem fide in ipsum, nos coram Deo iusti reputamur. Acquisiuit nobis uitam & salutem aeternam Ioh. 1. 3. Rom. 3. 4 I. Corinth. 1. Ephes. 1. Exiat suauissimum dictum huc pertinens Rom. 3: Quem proposuit Deus propiciationem. Respicit autem ad arcam foederis, quae est Christus.

Iohan. 1,

## IN II. PSAL. GRADVVM

Ista autem David aut quisquis tandem huius Psalmi autor est, non hausit ex Lege, sed ex Euangelio de Christo, propiciatore generis humani.

**Timor Dei.** Vt timearis) Fructus istius gratiæ propiciationis per Christum, nempe, verus ac filialis Dei timor. Significat autem timor Dei usitato hebraismo, totum Dei cultum, seu nouam ocedentiam, ex fide per spiritum sanctum promanantem. Alij sic interpretantur, ut hypocritæ, uel etiam omnes prophani te timeant, si iniquitates ipsorum obseruaueris, & non gratis eis remiseris peccata,

**Expecto)** Luctantem fidem describit. Nam non est mox perfecta fides in ijs, qui promissionibus gratia sese sustentant, sed subinde habet plurimas aduersitates ex carne, ex ignitis Diaboli telis ex calumnijs, imò etiam ex specie externa hypocritarum. Itaq; necesse est quotidie petere à Deo incrementa fidei, & constantiam usq; ad exitum uitæ nostræ. Necesse est subinde ad uerbum Dei respicere, querere, expendere, meditari promissiones dulcissimas Euangelij. Nam absq; perpetuis exercitijs facillime languescit & extinguitur fides, Id quòd pij animaduertunt in tota sua uita.

**Expecto)** Fides est ὑπόστασις rerum sperandarum, & ελεγχῶ non apparentium. Beatitudo illa, quam Euangelium promittit, non mox sensibus humanis deprehenditur. Relinquuntur non raro pij in cruce. Hic est agor standi. Et sanè mira ratio est. Fide in Christum sumus uiuificati, & tamen morimur. Prius in terræ puluerem reuertimur, ac postea tandem sequetur nostra glorificatio. Da heisse es/Expecto Dominum.

**Anima)** Phrasis. Comprehendit motus interiores in corde, Et opponitur hypocrisi.

**In uerbo)** Gratia scilicet, seu Euangelij. Nam uerbum Legis non dicit de propiciatione per Iehouah gratuita; sed mera

fulmina

fulmina maledictionum suarum in nos effundit. Sed Euangelium est uicunda uox, de remissione peccatorum gratuita per sanguinem Christi. Hoc uerbum est fulcrum & basis istius spei & fiducia, quæ non poena, sed uenia, non mors aterna, sed uita expectatur. Deducit igitur ad uerbum diuinitus patefactum, non ad proprias aut Enthusiasticas cogitationes, quæ mœrores tantum augent, Fiduciæ autem & spei de gratia & uita perpetua nihil habent.

**Anima)** Repetitio ista depingit perpetua exercitia fidei in hac uita. Quod ad glorificationem in aeterna uita, mora pijs uidesur diuturna. Imò in Apocalypsi, animæ sub altari, etiam ista dilatione excruciantur. Sed uerbo sustentantur, breui ea omnia impletum iri, quæ ipsis sunt promissa. Sic aliæ corporales liberationes piorum, uidentur nimis diu differri. Sed expectandum fide, et uiriliter superando tentationes uerbo, quod est fundamentum spei, agendum est. Si moram fecerit, inquit Abacuc, expecta eum, quia ueniens ueniet, & non tardabit.

Apo. 6.

**A uigilia)** Militaris locutio, ac significat anxium animum hominum abigere ac impedire. Securi è contra in utramq; aurem dormiunt, donec inuoluantur poenis.

Abacus 2.

**Speret)** Hypothesin ad thesin transfert, estq; doctrina, qua summarim comprehendit, ac simul illustrat & explicat doctrinam saluberrimam & suauissimam, de gratuita coram Deo remissione peccatorum, per solam in Christum fidem.

**Speret)** Non solus uult potiri & frui propiciatione gratuita per CHRISTUM Iehouah, sed ostendit esse communem Ecclesie Dei doctrinam & professionem, seq; nihil aliud magis in uotis habere, quam ut hæc doctrina Euangelij sit nota, sit familiaris, sit grata omnibus.

**In Domino)** i. Fundamentum fidei saluantis, & iustificantis apud Deum, nempe Iehouah, CHRISTVS IESVS. Nam is constitutus est nobis Mediator & Redemptor, siquidem iudicio Deo altissimi,

tantum

## IN II. PSAL. GRADVVM

tantum filius Dei factus est homo, potuit nos redimere à peccato, diabolo, morte, inferno. Huc uetus & nouum Testamentum collimant, ut istum VNICVM Seruatorem nobis commonstrent.

Apud Dominum) Repetitio ista non est ociosa tautologia, sed inculcatio rei omnium maximè necessaria. Nam hunc  $\Sigma\omega\tau\eta\mu\alpha$  homines per se ignorant. Et prauidet spiritus Dei, quomodo hunc Seruatorem hypocritæ & Pharisei essent obscuraturi, ut etiam sub papatu contigit. Ergo benè ac perpetuò hoc inculcandum est: Non esse aliud Nomen sub cælo datum hominibus, in quo eos oporteat saluos fieri. Acto: 4.

Misericordia) Iungit duo sulcra, quibus fides, certò statuens misericordia se habere Deum propiciam, nititur, nempe Misericordiam Dei gratuitam & immensam, & meritum Christi. Hæc est fidei anchora. Misericordia, in negotio nostræ coram DEO acceptationis & salutis, est gratuita sine lege, sine nostris operibus, tantum propter Christum Mediatorem & propiciatorem contingens. Nam extra hunc Christum, pro nobis intercedentem, eiusmodi misericordia, qua peccator miserrimus, iram Dei & æternam condemnationem commertus, gratis in gratiam recipitur, & uita æterna donatur, nulla est, sed tantum manet Legis maledictio propter peccata. Hæc igitur est Misericordia Euangelij, ignota Pharisæis & Iusticiarijs, qui nihil præter legem in sacris literis uident. Quoties igitur de hac misericordia Dei erga nos peccatores cogitamus, mox in Christum propiciatorem oculos mentis referamus. Nam ex hac plenitudine haurimus gratiam pro gratia omnes. Iohan: 1.

Et copiosa) Altera fidei basis, nempe, meritum Christi, satisfactio pro peccatis omnium nostrum, redemptio ex potestate mortis, Diaboli & inferni. Nam hoc pacto uoluit Deus nos saluari, nempe, ut sua Legi, quæ est immota Dei sententia, satisfaceret in persolutione pœnæ & pers. Et. s. ma obedientiæ per Christum, quia nos ea prastare non potuimus Rom. 8. 2. Corinth. 5.

Redemptionis uocabulum ostendit, nos fuisse captiuos peccati, mortis, Diaboli, inferni. In eum autem carcerem ex Legis sententia & execratione sumus coniecti, & quidem in omnem usq; æternitatem nobis  
in eo



in eo manendum fuisset, sub infinitis torturis & doloribus corporis & animæ, nisi Christus nos sua passione & resurrectione inde eripuisset & liberasset.

Copiosa autem est ea redemptio per Christum facta, modo & effectu. Nam pro omnium hominum peccatis satisfecit, & totam legem adimplevit, iuxta ipsius patris cælestis uoluntatem & mandatum, & æternam iusticiam, uitam, læticiam & gloriam hominibus peperit. Estq; hæc tam copiosa redemptio opponenda terroribus de indignitate nostra, de multitudine & magnitudine peccatorum. Gratia enim ista exuberat supra peccata. Item hæc tenenda sunt contra cogitationes particularitatis. Est enim Agnus Dei, tollens peccata totius mundi, mea & tua, quantumq; illa sunt.

Et ipse) Epiphonema, seu repetitio eius illustris & suauissima sententia & altera applicatio.

Redimet) 1. Merito, quando filius Dei factus homo, passione & resurrectione sua Hierosolymis redimet populum suum à peccatis suis. Matth. I.

2. Applicatione per uerbum Euangelij, & Sacramenta gratiæ. Sic enim homines peccatores ex carcere peccatorum & mortis, in regnum iusticiæ & uitæ æternæ collocantur.

3. Consummatione in nouissimo iudicio, ubi credentes in se rursum plenè restitutos, & imagine Dei ornatos, in uitam cælestem traducet, & glorificabit iuxta promissiones.

Ex omnibus) Emphasis singulis uerbis inest.

## DOCTRINÆ.

1. In salutari ad Deum conversione, secundam esse fidem in Christum propiciatorem, sine qua nulla est solida & firma cordis læticia & uita.

2. Iehouah esse constitutum à Deo parte, hominum σωτηρία, ita tamen ut fieret homo, ut mori posset, & sua quoq; passione pro nobis  
 I satisfaceret.

IN 12. PSAL. GRADVVM

satisfaceret. Declarant autem porro sacra litera, quod filius Dei sit destinatus huic operi. Galat. 4. Causa porro eius rei, alibi exponuntur.

3. Homines Deo patri per propiciationem, qua facta est per hunc Dei filium, esse reconciliatos. Forma autem istius propiciationis descripta est Psal: 22. IIO. Esai: 53. & in historia ab Euangelistis contexta. Oportuit enim tali pacto Legi Dei seueræ satisfieri.

4. Pœnitentiæ veræ fructum esse, pietatem seu nouam obedientiam, iuxta legem Dei, quam Propheta uocat timorem Dei.

5. Fidem niti uerbo Dei, scilicet Euangelij. Nam in Lege non est gratuita peccatorum condonatio. At uox Euangelij monstrat & exhibet nobis Christum propiciatorem, & eius iusticiam impletæ Legis, nobis applicat atq; imputat. Rom: 4. Hac non extra uerbum Euangelij uel discuntur, uel contingunt. Oportet igitur hoc uerbum semper in conspectu uersari, imò potius corde apprehendi, & firmiter teneri.

6. Fidem esse perpetuò exercendam, alendam, sustentandam, contra carnis imbecillitatem & Diaboli tentationes.

7. In dilatione & mora beneficiorum Dei, fide expectandum esse. Neq; propter tentationes & dilationes abijciendam esse fidem. Nam spe salui facti sumus.

8. Duo esse fundamenta fidei, Misericordiam Dei & meritum Christi. In hisce nostra salus continetur & consistit. Et absq; illis nemo saluatur. Vtrâq; uerbo Dei reuelantur, sine quo nemo hominum ea nouit.

9. De prærogatiua populi Israelitici, quod Christus apud eos iuxta hæc promissiones, iam natus est, docuit, passus est, resurrexit, ascendit in cœlum. Sed præter ea, est Christus

commune bonum. Ite inquit, in orbem uniuersum.

NUMERO CXXXI. 34

CXXXI. PSAL-  
MVS.

**N**ARRatio est de exercitijs fidei in humilitate, in crucis patientia, & in fide. Est igitur didacticus Psalmus. Vult enim Ecclesiam has uirtutes discere & exercere.

Partes igitur sunt illæ tres, quas diximus.

DE PRIMA PARTE.

De humiliationis ueræ exercitijs, Quam quidem in tribus ponit, in corde, in oculis, in ambulatione.

Domine) Agit coram Deo, agnoscens, hæc exercitia pietatis à Deo accendi, conseruari, gubernari. Nam alioquin regnat superbia, quam Diabolus in naturam humanam quasi inhalauit, uel hypocritica humilitas, uel simulachrum tantum humilitatis, quod est sine fide. Non autem iactat Propheta hæc dona ueluti Phariseus Lucæ 18. Narrat enim tantum simpliciter, in quibus sese pietatis officijs exercet.

Non est) Fons superbiæ est cor, intumescens uirtutibus aut donis suis, quasi ea sint propria industria parta, seu multo sint præstantiora, quam in alijs eaq; persuasionem se offerens super alios, contemnens alios, requirens ab alijs singularem honorem, & gestibus, uerbis, factisq; mouens plurima præter uocationem & decorum, seu uerbum Dei, ac subinde altius cupiens ascendere. Hoc est illud altum cor cum suis fructibus.

Humile uero cor est, quod in timore Dei agnoscit suam infirmitatem, dona exigua, & in alijs maiora, nec uel gestibus, uel uerbis factisq; quicquam contra uocationem seu decorum suscipit, & siquid Deo gloriosum, & hominibus utile gerit, Deo id omne acceptum fert,

## IN 12. PSAL. GRADVVM

fert, & si qui maiora praestant, id praedicat & iurat. Eiusmodi autem cor humile habet David, subiiciens sese Sauli, licet esset delectus in regem. Item: Ionathas regis filius, Davidem electum Regem & heroicum hominem, absq; inuidia & ambitione, fraterno amore complectens & iuuans.

I. Reg. 18.  
19. 20.

Docet igitur David, sese in hoc pietatis exercitio laborare, ut castiget ac reprimat suum cor, seu flatuosos cordis motus, ope spiritus sancti. Nam hoc nequaquam poterat coram Deo dicere, sese nunquam superbiam cordis in sese animaduertisse.

Neq; elati) Secunda sedes superbia, sunt oculi, mentis seu cordis indices. Erigit autem superbia faciem, inflat buccas, spirat calidos uentos, distendit oculos, tollit supercilia, unde superciliosi homines dicuntur, & nihil moderati superbia retinet, incessum hominis mutat, in uestitu se prodat, in sermone & alijs rebus. Erat autem David rex sublimis, potentia & rerum successu insignis, dona animi habebat egregia. In tanto igitur fastigio tenere mediocritatem, & fastium a se profligare, non est res tantu in humanis uiribus fita. Nam sicut ille dicebat: Res secundas decent superbia: raro inuenias, qui in utraq; fortuna, prospera nimirum & aduersa modum non excedunt.

Plautus.

Neq; ambulauit) 3. In uita, in operibus, functionis non suscipere ambitionis & gloriae gratia, non necessaria. Nam maiora uiribus, aut non necessaria conari, euerit praestantissimos uiros.

Gene. 3.

In magnis) Scilicet, praeter uocationem. Nam cum superbia sit flatuosa, semper nititur ad altiora quasi uolare, sed sibi & alijs accersit damna. Primi homines parentes, accensi superbia a Diabolo, uolunt esse Celohim, ut Dij, sed se & posteros euertunt. Poeta, ut infelices istos conatus, & quasi uolatus superborum ingeniorum depingerent, finxerunt Dedalum & Icarum careis alis in radios solis ardentis subuolantibus. Et Phaëtonem, Solis currum conscendere, ac mundum accendere suo cum exitio & aliorum.

Ouid. Meta  
mor. 8. 2.

Neq; in mirabilibus) Doctrinam existimo intelligi, quod manserit intra uerbum Dei diuinitus de omnibus fidei articulis scitu necessarijs patefactum, & non inquisierit arcana & non reuelata, posita nimirum

nimirum ultra conspectum rationis humane. Nam ingenia humana mira curiositate subinde ad profundiora & altiora aspirant. Venantur, expectunt, amant MIRABILIA, noua, ardua, retrusa, acumen habentia. Sic omnes hæretici, tumida sapientia in pinnam templi ascendunt, inde per aërem deuolare gestiunt, fingunt ac pingunt noua dogmata, mirabilia, prodigiosa. Gaudent se uidere, quod alij non uiderunt. Gloriantur ea de re, denunciant toti mundo, ista ab alijs non animaduersa, se mirari aliorum ruditatem, oscitantiam, crassiciem. Sic Arrius in mirabilibus supra se ambulans, asseuerat fuisse, quando non fuerit filius Dei. Osiander in mirabilibus supra se ambulat, negans, nos imputata per fidem in Christum iusticia, coram Deo iustos esse, sed ipsa Essentiali potius iusticia in nos habitante, atq; efficiente nos iustis facere. Illyricus in mirabilibus supra se ambulans, affirmat, peccatum originis esse ipsammet substantiã hominis, & inter hominem ac uitium hominis, non esse discrimen. Hac paradoxa seu MIRABILIA, plura mirabilia, id est, portenta & portentosas argumentationes gignunt.

Arrius.

Osiander.

Illyricus.

## DOCTRINA.

1. Humilitatem cordis, oculorum & totius uitæ, esse necessariam uirtutem in Ecclesia Dei, quæ à Deo petenda, & per spiritum sanctum perpetuò exercenda est, Quia natura humana, Diabolica superbia per labem illam originalem est infecta. Definitiones autem humilitatis & superbiæ alibi recitantur.

2. Humilitatis quasi sorores sunt, timor Dei, uera iudicia de se & alijs, modestia, mansuetudo, longanimitas, patientia.

3. Superbiæ sorores sunt, uanitas, mendacia, polypragmosyne.

4. Tantum agenda esse necessaria in uita humana, hoc est, quæ ad uocationem cuiusq; pertinent.

5. In reuelatis uerbo Dei tantum consistendum, nec inquirenda esse, quæ in uerbo Dei non sunt reuelata, nec tradita.

INIZ. PSAL. GRADVVVM

DE SECVNDA  
PARTE.

De exercitio patientiæ in cruce, pijs familiari.

Si non animam) Phrasis obscuram nobis reddit uersionem. Sed in simplici sententia consistamus. Est Elliptica oratio, si non posuissem & silere fecissem animam meam, cum essem ueluti ab lactatus à matre, scilicet, peccassem, uel est imprecatio, dispeream.

Ponere animam.

Ponere autem animam & facere eam silere, est impatientiam, murmur in cruce (id quod carni humana promptum est) frenare, cohercere, sedare per spiritum sanctum. Non enim fit absq; lucta etiam in Sanctis. Nam caro concupiscit aduersus spiritum. Sic Esaias inquit: In silentio & spe erit fortitudo uestra. Psal: 62: Ad Deum silet anima mea, id est, in cruce me reprimo, non fremo contra Deum impatientia. Sic Psal: 39. de illo silentio in cruce multa uerba facit. Opponitur autem motibus impatientiæ, clamori absq; fide, conatibus contra uerbum Dei.

Isa. 30.

Sicut ab lactatus) Cum essem ueluti ab lactatus à matre. Huic phrasi & comparationi lucem adfert egregia Esaia sententia cap: 28: Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum ab lactatos à lacte, auulsos ab uberibus, hoc est, eos qui sunt in cruce, in aduersitatibus, ipsaq; necessitate adiguntur, ut uerbum Dei inquirant, discant, meditentur, ad usum applicent. Et ibi sentitur uis & fructus uerbi diuini. Vexatio dat intellectum. Ergo comparatio significat crucem filiorum Dei, qua sinit Deus sibi charissimos exereeri. Subtrahit eis lac maternum, hoc est, sinit eos incidere in inopiam, & alia mala. Inest autem huic comparationi dulcis consolatio, quod pijs sint filij Dei: Quod Deus propter crucem eos non abiciat proflus: Quod Deus pro eis maternam curam agat: Quod uelit eos nutrire, defendere: Quod illa ipsa ab lactatio, eis cedat in bonum, ut solidiori cibo adsuescant, & mollicie relicta, maius robur acquirant, sicut

sicut pulcherrimè canit Dauid: Bonum mihi, quòd humiliastime, ut discerem iustificationes tuas. Psal: 119.

Sicut ablactatus) Repetitio ista procul dubio eam consolationem uult suggerere, de qua dixi. Nam afflictiones piorum à pœnis impiorum procul sunt distinguendæ. Piorum cruces & ærumnæ, sunt maternæ ablaçtationes, uel paternæ castigationes. Sed impiorum mala, sunt seueræ Legis executiones graues.

Sic igitur uult Dauid exerceri patientiam in cruce à filiis Dei, sicuti ablactatus, abstracta mamma, cogitur assuescere cibo duriori, & tamen manet in cura & protectione matris. Hæc absq; fide præstari nequeunt, nempe, perseverare in filiali amore Dei, tanquam matris charissimæ nos ablaçtantis.

## DOCTRINÆ.

1. Ecclesiam Dei subiectam esse cruce in hac uira. Causæ aliàs exponuntur.
2. Crucem piorum esse tantum maternam ablaçtationem filiorum, quæ in ipsorum commodum cedit. Hæc de beneuolentia Dei erga suam Ecclesiam sub cruce militantem, plurimis dulcissimis dictis Scripturæ explicantur, quæ passim obuia sunt.
3. De patientia filiali in cruce, quæ reprimat desperationem & fremitum aduersus Deum, ac tenet medium. Nam caro, ut est corrupta uitio originis, ita ad utraq; extrema est propensa. Sed spiritum oportet luctari aduersus carnem, eamq; reprimere uerbo Dei, oratione & alijs pietatis exercitijs.

## DE TERTIA PARTE.

De fide nitente in Christo constanter, & sine intermissione.

Speret)

## IN 13. PSAL. GRADVVM

Speret) Expectat. Fides enim est certa persuasio, de Dei erga nos benevolentia, expectans omnis generis bona à Deo, temporalia & æterna. Nam fides, licet in presentia fruatur gratuita remissione peccatorum propter Christum, tamen etiam plurima in futuro adimplenda, concipit, non modò in hac, sed etiam in æterna vita. Iam uerò hoc exercitium in fide crescendo & perseverandi, necessarium est, tum propter infirmitatem naturæ humanæ, tum propter uarias tentationes & aduersitates. Ideo Beatos Christus pronunciat, qui perseverant usq; ad finem.

Matt. 10.  
24.

Israel) Et se & alios ad hoc exercitium exuscitat. Nam erat & ipse una pars Israel, id est Ecclesiæ Dei.

In Iehoua) Fidei obiectum & fundamentum, nempe, Iesus Christus. Nam extra hunc Christum, nemo hominum certam & firmam spem aut fidem habere potest, in tentationibus de peccato, aduersus mortem & damnationem Legis, & alias quoq; huius uitæ ærumnas. In omnibus itaq; angustijs & malis, quæcunq; homini accidere possunt, animus referatur ad Christum, omnis fiduciæ & consolationis fontem.

Ex hoc) Perseuerantiam fidei docet. Quia non satis est bene incipere.

## DOCTRINÆ.

1. Fidem oportere toti uitæ Christianorum præluere.
2. Exercitia fidei esse pernecessaria, quia uarijs modis in hac uitâ quassatur. Et homo nunquam est in eodem statu, uel deficit, uel proficit.
3. Fidem ueram tantum in Ecclesia Dei uera lucere, non extra eam. Causæ sunt in promptu, Quia sine Euangelio & Christo non est fides.
4. Fidem Christo Iesu insistere, quia ipse est propiciator & Dominus noster.
5. Non tantum pietatem & fidem incipiendam, sed in ea quoq; perseverandum esse.

CXXXII. PSAL.



CXXXII. PSAL-  
MVS.

**P**recatorius & dogmaticus est Psalmus de templo Hierosolymitano, in quo Arca Dei debebat habitare, Et de regno David, usq; ad Messiam duraturo, siue eum David (ut uero simile est) ex singulari Dei reuelatione, siue Salomon, siue alius composuerit. Celebrat enim amplissima Dei beneficia, tum Ecclesiastica, tum politica in hoc populo. Non autē tantum uetus illa historia ad nos pertinet, confirmando fidem nostram in Christum, sed iam etiam docet de Ecclesia Christi, in qua habitat ipse Christus uerbis & sacramentis, & propter hanc suam præsentiam, etiam politijs bene facit, sed ita, ut uelit pietatem in cruce exerceri.

Partes Psalmi sunt tres.

1. De templo seu fixo loco, in quo arca Domini habitatura sit.
2. De politia seu regno David, usq; ad Messiae aduentum duraturo.
3. De utriusq; præstantia, & conuersatione etiam externa.

DE PRIMA PARTE.

De loco Arcae fœderis, hoc est, templo in Ierusalem.

**Memento)** Propositio. Peto ut sis memor promissionum, quas ex misericordia Dauidi reuelasti. Non enim tam personæ, quàm promissionum admonet Deum. Sic Exod. 32. dicitur. Recordare Abraham, & Isaac, & Israel seruorum tuorum. Et Deut. 9. hoc est, promissionum ipsis factarum.

**Et omnis)** Pathetica oratio est. Tu, inquit, nosti arumnosam meam uitam, & quod propter confessionem ueræ religionis, odia, persecutiones & plurimas ærumnas pertulerim, iam peto, ut ille sit portus, in quo conquiescam, ut publicè exiet locus, in quo tuum nomen celebretur.

Non

## IN 13. PSAL. GRADVVM

Non ait, suas afflictiones esse meritatarum rerum, sed est pathos. Ab inquit, da, ut hic quasi terminentur mea afflictiones.

**Qui)** Enallage temporis. Est autem expositio seu narratio, in qua re petat Iehouah recordari Dauid, uidelicet, ut hoc uotum perficiatur, in templi aedificatione. Occasio huius rei est, primum, quia Deus promiserat suo populo, sese locum certum ad suum cultum esse delecturum, Deut: 12. Deinde, quia pro sua in Deum pietate, Dauid ardebat quidem, Deo suum templum, in quo Arca Domini poneretur, extruere. Sed reuelatione diuina, quia multum sanguinis effudisset, prohibetur. Nihilominus autem Deus filium isus designat, qui hoc opus esset perfecturus. Hinc Dauid ingentem thesaurum auri, argenti, & omnis generis materiam, ad tantum adificium comportat, filioq; suo relinquit. 2. Reg. 7. Hac igitur laticia accensus, hunc Psalmum memoria & gratitudinis ergo conscripsit, ac uoluit in Ecclesia decantari, Sicut & Salomon in dedicatione templi, multa hinc mutuatur.

1. Paral. 23.

3. Reg. 8.

Iurauit, uouit, obligationem illam significant, quia Dauid sese obstrinxit, sese adiuturum esse templi aedificationem. Congessit autem materiam. Salomon structuram perfecit.

**Deo Iacob) Abir, forti Iacob.** Sic Deus appellatur, quia fortitudinem & potentiam suam patriarchae declarauit. Quis autem potentior est Deo, in cuius manu sunt omnes creaturae?

**Si) Expositio uoti.** Porro, si, in iuramentis habet uim negatiuae. Si introiero, id est, non introibo. Estq; phrasis, quando aliquis certam rem constituit aut pollicetur.

**Locum)** Iuxta reuelationem diuinam, non iuxta meas cogitationes. Est autem hoc peculiare Dei beneficium, quod in hoc populo templum sibi extrui mandat, id quod in nullo mundi loco alias fecit. Ratio autem eius rei est, quia prope illum locum, Messias deberet sua passione redimere genus humanum. Magnum & hoc est, quod Deus ibi uoluit quasi sedem figere, quem tamen caelum & terra non comprehendunt, & uoluit populum suum ibi conuenire, &

ad

ad eum locum preces suas dirigere, ne ipsorum animi uagarentur, quia suo certo uerbo se illi loco alligauit. Iam ipse Christus est propiciatorium nostrum, ad quem se nostra corda debent conuertere.

**Tabernaculum**) Tabernacula est in textu, quia templum debebat habere certas distinctiones, nempe, atrium, sanctum, & sanctum sanctorum.

**Deo**) Forti Iacob. Iterum repetit hanc Dei appellationem, proculdubio propter promissiones de Christo, huic Prophetae factas.

**Ecce**) Collatio. Antea passim quasi oberrauit, sine certa sede Arca domini. Nunc uero fixum tenebit locum. Primum autem Arca foederis, ut in deserto est fabricata, ita cum populo circumportata est. Fuit aliquandiu in Silo. Postea in Palestina circumducitur, in Azotum, in Accaron & alia loca. Deinde in Gebaa in domo Abinadab. Dauid eam primum reducit in domum Obedom Gethi, deinde in ciuitatem Dauid. Salomon in templum collocat.

Iud. 20.

1. Reg. 5.

2. Reg. 6.

3. Reg. 8.

**Ephrata**) Bethlehem est. Non legimus autem Arcam ibi fuisse, nec id hic dicitur. Significat igitur se Ephrataeum, cum adhuc domi in patria uiueret, de Arca Domini, habitante in Silo audiuisse, & maximi eam fecisse. Nam sic inquit: Ecce, audiuius.

**Inuenimus**) Suam historiam notat, qua Arcam Domini inuenit foris extra Ierusalem, Nam cum ex Palestina reueheretur, in campo Iosue Bethsamitae relinquitur, postea deducitur in Gabaa, unde Dauid eam transfert Ierusalem. Hunc igitur situm loci, unde Arcam adduxit, uocat campum syluae, seu campum syluestrem. Hac sunt ex textu plana, & frustra se torquent interpretes.

**Introibimus**) Aduersatiua seu altera pars collationis. Nos autem habebimus Arcam Domini in templo, loco fixo.

**Adorabimus**) Iste est precipuus Dei habitantis in Arca, cultus, complectens etiam alios uerbo Dei praeceptos.

**Scabellum**) Ante propiciatorium, ubi Deus habitabat. Phrasis a supplicantiibus alicui regi sumitur. Diuerso autem respectu, terra appellatur scabellum pedum eius.

## IN 13. PSAL. GRADVVM

**Surge)** Accensus spiritu David in re presenti, quasi in ipsa Arca introductione uersari uidetur, ideo iam hac uoce acclamat. Sumit autem hac uerba ex Mose Num:10. Cum enim proficisceretur Arca, Moses dicebat: Surge Domine, & dissipentur inimici tui. Cum uero quiesceret, dicebat: Reuertere Domine ad multitudinem millium Israel.

**In requiem)** Iuxta promissiones.

**Arca fortitudinis)** In qua exeris tuam fortitudinem. Nam **1. Reg. 6.** Arca presente, sæpe hostes fundebantur. Sic arca semetipsam ulciscitur in Philistinis, & uaccis trahentibus absq; gubernatore reuertitur. Vbi autem erat, ibi erat benedictio Domini. Sed postea à ludæis degenerantibus, & Arca & benedictio auferuntur, præsertim cum fastidirent Christum propiciatorem, quem Arca aurea significauerat. Donec autem & nos hanc arcam, hoc est, Christum iuxta promissiones, fide in nostris cordibus, Item publicum Euangelij de Christo ministerium habemus, sumus beati. Ea uero absente, malè stamus.

**Sacerdotes)** Ministros uerbi & populum, id est, Ecclesiam adiungit, & cuiq; tribuit suum.

**Induantur iusticia)** Phrasis, respiciens ministerium, doceant iusta, rectè administrant iudicia, & in uita sua iusticiam colant. Nam hæc persona præerat Ecclesiæ Dei. Vult igitur in eis potissimum lucere iusticiam in doctrina, in iudicijs, & in uita. Indui porò, hic opponitur hypocrisi & profanitati.

**Sancti)** Populum appellat sanctum, scilicet, fide in Christum imputatione. Deinde etiam, quia spiritus sanctus per uerbum in eis inchoauit sanctitatem. Discernit autem profanos, & sine omni pœnitentia in peccatis iacentes.

**Exultent)** Læticia fruuntur ex doctrina sincera, & ex hac ipsa presentia Domini & ipsius Arca. Est autem propria nota Ecclesiæ, seu credentium in Christum, habere lætam & pacatam conscientiam, & celebrare Deum agnitione beneficiorum ipsius. **Psal. 88.** Beatus populus, qui scit iubilationem.

DOCTRINÆ.

## DOCTRINÆ.

1. Crucem, hoc est, afflictiones piorum, abundè compensari beneficijs Dei, & quidem omnium maximè, quando Deus præsentiam suam declarat, et Ecclesiam suam in posteritate conseruat, Id quòd à Deo crebris precibus expetendum est.

2. Quemlibet pium debere ad extruendum Domino templum, hoc est, ad fouendum ministerium uerbi, ad plantandam & promouendam Ecclesiam Dei, operas conferre. Nam simpliciter ingentes & magnificas ædes extruere, non est à Deo præceptum.

3. De templo Hierosolymitano singulari Dei iussu extructo, hoc sine, ut ibi doctrina de Messia uenuro custodiretur & propagaretur, & ut eo in loco obseruaretur Messias, quia ibi docturus, & redemptionem generis humani peracturus esset.

4. De arca Domini, quæ erat singulare testimonium, Deum apud istum populum præsentem esse, imò habitare. Estq; ista Arca typus Christi elegantissimus, ut suo loco explicatur.

5. De uera Dei adoratione, quæ quidem ad patefactiones & uerbum Dei se referebat.

6. De Ecclesia Dei, quæ habet sacerdotes & populum.

7. Sacerdotum officium est, ut sint induti, & præluceant toti populo, iusticia, doctrina, iudicijs & uita.

8. De Ecclesia, quòd ea sit sancta coram Deo, non quidem perfectione & puritate totius suæ substantiæ, sed imputatione per fidem in Christum, & inchoatione nouitatis. Sunt tamen cœtui Ecclesiæ Dei immixti, non sancti, quos Deus nouit, sed de doctrina tamen consentiunt, nec sunt excommunicati.

9. Proprium Ecclesiæ Dei est, ex promissione Euangelij habere læticiam, ac Deum filiali amore inuocare & laudare.

IN 13. PSAL. GRADVVM

DE SECVNDA  
PARTE.

Oratio de politica conseruatione, in posteritate Dauid, usq; ad  
Messia exhibitionem, iuxta promissiones diuinas. Nam utraq; coniungit.  
Politica enim & Imperiorum precipuus finis est, ut sit hospitium Eccle-  
siae Dei, eiq; seruiat.

Propter) Respicit promissiones sibi datus, ut sequitur. Deinde  
etiam uoce Legis, bona promittuntur pijs parentibus in posteritate.

Seruum tuum) Emphaticè, qui tibi seruiuit.

Ne auertas) Conserua regnum in mea posteritate. Facies un-  
di tui, significat regnum, praesentiam regis. Nam praesentia regis regnum  
intuatur, id est, gubernat subditos.

Iurauit) Ratio & consistit in orationis, quia Deus promisit Da-  
uidi. 1. Reg. 7.

Iurauit ueritatem, seu uerum iuramentum, seu ueram promissi-  
onem iuramento confirmauit.

Si) Conditio tanquam in re externa & mundana. Nam Deus  
requirit pietatem & obedientiam erga legem suam. Pactum & testimonia  
Dei in ea Ecclesia, est uerbum ipsis traditum, & mutua obligatio, saepius  
repetita.

Vsq; in seculum) Ode, ad, ultra ultra, abs. duè assidue, imer-  
für vnd für / scilicet, iuxta limitationem promissionis diuina usq; ad  
Christum, ante cuius quidem aduentum, sic debebat extenuari posteritas  
Dauid, ut quasi ex sitienu terra enasceretur uirgultum ipse, scilicet, Mes-  
sias. Esai. 11.

DOCTRINÆ.

I. Conseruationem regnorum in posteritate, esse beneficium Dei.  
Eius enim est constituere reges & transferre regna.

2. De

2. De posteritate Dauidica, quæ duravit quidem usq; ad Christum, ita ut in aliqua parte regiminis, nempe in Sanhedrim, hæreret. Sed Herodes & aliæ pestes generis humani, extumulante Satana, odio in Christum inextinguibili ardente, familiam Davidis, Deo permittente propter exhibitum Messiam, in terris quidem deleuerunt. Sed sedet tamen & regnat filius David ad dexteram æterni patris, super totum orbem terrarum, & quidem in perpetuum, sicut Psalmo 110. predictum erat.

## DE TERTIA PARTE.

Nunc coniungit Ecclesiam & politiam. Nam propter Ecclesiam tota hæc politia erat constituta, & conseruabatur.

Quoniam elegit) Est electio Dei, non est opus aut consilium humanum. Causa est, quia tibi decreuerat Deus exhibere Messiam.

In habitationem) Singulare & ingens opus τῆς φιλῶνθρωπίας τῆς θεοῦ.

Hæc) Repetitio & exaggeratio.

Victui) Promissio de corporali sustentatione.

Benedicens) Certo benedicam.

Sacerdotes) Promissio de conseruatione ministerij & omnium piorum.

Illic) Finis ultimus conseruationis ministerij, & totius politia, nempe, exhibitio Christi redemptoris.

Cornu Dauid) Luca 1. Zacharias applicat ista.

Lucerna) Simeon Luca 2. ista applicat ad Christum.

Inimicos) Comminatio de pœnis hostium & persecutorum Christi. Sic deleti sunt, Ierusalem & omnes reliqui hostes Christi.

Super ipsum) De gloria Christi.

Corona) Imperium, Maiestas, potentia Christi, de qua dicit Psalmus 110: Sede à dextris meis. Estq; pulcherrima oratio, super

Christum

## IN 14. PSAL. GRADVVM

141. IS.

Christum efflorescere coronam eius. Nam in paupertate debebat nasci, pauper & inops educari, speciem humilis serui præ se ferre, pati, crucifigi, mori. Inde est, quòd ridetur à Pilato, quòd se regem auderet profiteri. Sed efflorescit corona eius tertia die, post mortem, resurrectione eius, ascensione in cælum gloriosa, sessione ad dexteram patris, uisibili effusione spiritus sancti, deletione Ierusalem, & perpetuo eius regno, magisq; hæc corona eius efflorescit & agnoscetur in nouissimo die, quando in Maiestate iudicabit uiuos & mortuos.

## DOCTRINÆ.

1. Ecclesiam Dei colligi & conseruari, non humanis consilijs, sed electione consilio & beneplacito solius Dei, idq; ex mera misericordia, sine respectu dignitatis humanae.
2. Deum corporalibus quoq; beneficijs, suam Ecclesiam afficere, & uelle eam nutrire & protegere.
3. De conseruatione & protectione ministrorum uerbi Dei, & auditorum piorum.
4. De Messia exhibitione, eius regno & lucerna, qua cælestem doctrinam attulit & tradidit hominibus. Ioannes inde suam orationem sumit Ioan. I. de luce in tenebris lucente. Sine Christo enim mera tenebrae in mundo regnant, in quibus necesse est homines perire, nisi inquam à Christo lucente lumen consequatur.
5. Hostes Christi & Ecclesiae suae omnes punitum iri, licet aliquandiu ferocire & triumphare uideantur.
6. Coronam, id est, regnum, potentiam, gloriam Christi post passionem, subinde magis magisq; effloriturum, id uero euentus comprobauit, & nos magis id intuebimur breui in nouissimo die, ad quem capita nostra attollamus, quia redemptio nostra appropinquat.

CXXXIII. PSAL.



CXXIII. PSAL-  
MVS.

**E**Ncomion est concordiae in Ecclesia & politia, breue quidem, sed ualde neruosum & floridum. Est igitur dogmaticus Psalmus & hortatorius. Docet enim concordiam Ecclesiae & politiae, esse rem salutarem & suauissimam, qua nihil sit pulchrius, & quam omnes mortales à Deo expetere, promouere & ornare debeant.

Partes habet tres.

1. Commendatio est concordiae, ab utilitate & suauitate.
2. Analysis, quanta dignitas & utilitas sit Ecclesiastica & politica tranquillatis & concordiae.
3. Conclusio, promissionem diuinam repetens.

DE PRIMA PARTE.

Celebratio politicae concordiae in genere.

**Ecce)** Attentionis formula. Homines in pace & tranquillitate non expendunt, quantum sit donum, florens & pacatus Reipublicae Ecclesiae status. At in bellis, uastationibus regionum & ciuitatum, solent homines magnificere & praedicare quietem publicam. Existimant autem nonnulli, Dauidem consideratione motum, quibus initio sui regiminis exceptus fuit, & se & subditos, ad considerandam tranquillitatem, quae diuinitus obuenerat, excitare uoluisse.

**Quàm bonum)** I. Neruus celebrationis. Concordiam esse bonam, hoc est, toti uitae humanae necessariam & utilem. Nam in

L

pace

## IN 14. PSAL. GRADVVM

pace & concordia, uigent pietatis exercitia, propagatur & illustratur doctrina celestis, artes liberales excoluntur, Oeconomia est tranquilla, educantur liberi, coluntur agri, leges & iudicia florent, exercentur commercia, quæ quidem omnia in bellis, & dissensionibus uehementer impediuntur. Rectè Salustius dixit, Concordia res paruas crescere, discordia uerò maximas dilabi.

**Quam iucundum**) 2. Nerus à iucunditate, hoc est, præstantia, suauitate, delectatione. Nam animi sunt læti, & ad omnes labores alacres, ubi est concordia. Econtra uerò dissidentibus animis, cor est mestum, metuit insidias, pericula, molestias. Nihil est pulchrius, quàm quando subditi sub uite sua, aut in domunculis tuto cubant, & nihil periculi extumescent.

**Habitare**) Loquitur de cohabitatione hominum. Nam homo est animal congregatiuum, ac natura hominum à solitaria uita abhorret. Degenerant itaq; in ferarum naturam, qui relicto hominum cætu, absq; omni necessitate syluas opacas, speluncas & solitaria loca captant, quocunq; tandem furoris uel pietatis specie Satanas eos fascinet. Et meritò reprehenditur Hieronymus, qui ista propriè de Cœnobijs & Monasterijs dici putat, cum Christus manifestè dicat: Nolite exire in heremum, quæ situm ibi Christum, hoc est, cultus. Alia autem res est, quando persecutiones expellunt homines in heremum, ex qua tamen data oportunitate reuertuntur.

Matth. 25.

**In unum**) Etiam simul, bey samem / id est, in una repub: in una ciuitate, & in uno pago, uel in unum, id est unanimes.

**Fratres**) Deut: 24. Est phrasis Ecclesiæ Dei, in qua omnes sunt fratres, ex una spiritali matre, nempe, uerbo & spiritu regenti, & coheredes unius regni constituti.

## DOCTRINÆ.

**I.** Bona huius uitæ, tanquàm eximia Dei dona, agnoscenda & gratia memoria celebranda esse.

2. Concordiam

2. Concordiam in rebus humanis, ingens bonum & ornamentum esse, omnibus uotis à Deo expetendum, & omni pietate promouendum & retinendum. Nam tria sunt potissimum, quibus concordia coalescit ac retinetur, nempe, fidei precibus, humilitate, & patientia. Tres uicissim sunt pestes concordia, scilicet, impietas, superbia, impatientia. His igitur bestijs frena sunt iniicienda.

3. Omnes homines non ad monasticam uitam, sed ad cœtus hominum colendos esse conditos.

4. In Ecclesia Dei omnes esse fratres. Ideo mutuo amore & officijs nos inuicem complectamur & prosequamur.

## DE SECUNDA PARTE.

Enumeratio, quantum bonum concordia in Ecclesia & politica sit.

Sicut) Ecclesia pictura, concordia ornata, sumpta à balsamo & summo sacerdote.

Oleum) Periphrasis Balsami, quia nullum oleum eo est præstantius. Ac Deus suæ Ecclesia terram, præcipuè hac stirpe exornat, ut prope Hiericho excresceret, ac uolebat reges ac sacerdotes summos, isto oleo in augurari Exo. 30. ut præstantia & utilitas Messia, qui in ea terra nascitur, & genus humanum redempturus esset, designaretur. Constat autem, Balsamum fragrantiam tam excellentem spirare, qualem nullus alius liquor præbet. Reficit uires humanas, Et est medicina in uulneribus & morbis præsentissima, penetrat uestes & non maculat.

Super caput) In consecratione sacerdotis, Deus uolebat adhiberi hoc oleum, quia dignitatem Ministerij in Ecclesia uolebat commendare, atq; in Balsamo, doctrinae cœlestis fragrantiam & uires in uiuificandis, sanandis ac saluandis pectoribus hominum depingere.

## IN 14. PSAL. GRADVVM

In barbam, barbam Aaron) Repetitio Emphasin habet, non cuiusuis, inquit Lyra. Alij distributiue accipiunt, hoc est, per totam barbam undiq; Er meint den bart auff beiden seiten.

In oram) Oleum Balsami miram habet penetrandi uim, nec uestes maculat, ut dixi. Deinde etiam hoc exprimitur, quod totum corpus, & omnes uestes sacerdotis penetret balsamum, & fragrantiam eius imperat. Pingitur autem concordia in Ecclesia Dei praestantia, quae quidem incipit à docentibus uerbum Dei, quod fragrantiam spirat cordibus humanis ingentem, roborat, uiuificat.

Barba & os sacerdotis Balsamum olent, doctrina, precibus, celebratione Dei. Nam sancta uoce debent ministri Ecclesiae, reliquo ceteri praere.

Manat autem hoc utile, hoc suauissimum oleum, in uestimentum, hoc est, totum Ecclesiae populum. Aedificantur homines salutari doctrina ministrorum Ecclesiae Dei, uiuificantur, rectè Deum inuocant, celebrant, inchoant nouitatem in tota uita, & sic ipsi quoq; pulcherrimè uernant, & suauissimè fragrant, in laudem Dei, & aliorum quoq; adificationem, Matth 5. Luceat lux, &c.

Haeretici, falsi doctores, hircos olent, fetent, sordent, & quicumq; eis adstipulantur, tetrum odorem de se emittunt, dedecorant laudem Dei, & alijs hominibus uoce factiq; nocent.

Sicut ros) Politia descriptio & pictura, quae concordia est decorata.

Ros) Arefactas herbas recreat, & in uita conseruat, elicit plantas & facit eas crescere, mitigat aestum aëris. Sic concordia in politijs auget opes, coniugia & liberorum educationes tuetur. Iusticia & executione disciplina, malos reprimit atq; castigat, aliàs nemo uitam tuò ageret. Porro est lenis humectatio, non prosternens, non conculcans res terrae nascentes, id quod similiter suam habet significationem.

Hermon) Mons ille à Libano descendens per latus Cananae ultra peccurrentem Iordanem, ex quo sese nubes eleuant, gratum humorem toti terrae subiectae, ad producendas, nutriendas & fouendas res terrae nascentes

nascentes, effundunt. Nam hanc Physicam ibi David piè obseruauit, & adhuc obseruant illi, qui propè montes habitant. Porro existimo Dauidem Hermon, uicinos montes isti loco, Hermon appellare, quadam Catachresi.

Sion) Omnia loca humliora respectu Hermon significat, & nomine partis, uniuersam regionem circumiacentem comprehendit.

Politian autem sic describit, quæ regiur à legitimo Magistratu, sua sapientia, legibus, iudicijs æquis, subditos resciente & iuuante. Nam absq; Magistratu, nulla respub nullus cætus hominum consistere potest. Iam uerò tyrannide & iniquis iudicijs, turbatur ac perit respub sed æquitate, humanitate, iustis iudicijs, ueluti rore plantæ terræ, ita homines recreantur, fouentur, crescunt. Sicut porro montes, alios alijs excellentiores Deus constituit, & ita quidem, ut aliqua ratione terræ profint (Nihil enim frustrâ in uniuerso mundo est à Deo conditum) Ita & in genere humano, uult alios esse superiores ut Magistratus, alios inferiores & subditos.

## DOCTRINÆ.

1. Concordiam Ecclesiæ Dei à docentibus proficisci debere, ita ut parè doceant uerbum Dei, & sancta uita alijs pralucent. Hoc uinculo si colligetur populus, consensus & concordia est pulcherrima.

2. In falsa autem doctrina, aut falsis cultibus, est concordia uitiosa, turpis, noxia, Quia de decorat gloriam Dei, & adfert conscientijs æternū exitium. Imò Deus idolatrias, aut falsa dogmata serentes & amplectentes, etiam in hac uita uarijs modis punit, Id quod exempla uetera & recentia docent.

3. Dissensio autem in Ecclesia, ubi alter ueram doctrinam proficitur, alter eam impugnat, & corruptelas pro pugnat pertinaciter, summa est deformitas, & certa perniciës. Inprimis uerò ζυγομαχία doctorum est turpis & exitiosa.

4. Concordiæ ueræ in Ecclesia, laus, uoluptas, utilitas est summa. Nam eiusmodi concordia, suas utilitates etiam ad alios spirat.



**Vitas** Possunt ista iungi, Benedictionem uitarum. Nam promissiones Legis uitam pollicentur. Vita autem phrasi Scripturæ, in hisce Vitas promissionibus diuinis complectitur in genere omnia Dei dona, ad uitam æternam & temporalem spectantia.

**Vsq̄) Jmer für vnd für.** Phrasis, continuitatem significat, & (ut dixi) temporalia atq; æterna Dei beneficia proponit.

## DOCTRINÆ.

1. Deum & bona ipsius amplissima ibi esse, ubi est concordia pia. Contrà, ubi discordia dominatur, ibi Antichæus & omnis generis mala regnant.

2. Vitam & uitæ commoda, uera quidem & salutaria esse à Deo benefico. Sunt igitur stultissimi homines illi, qui contra Deum uitas, hoc est, commoda uitæ quærunt, Vt qui applaudunt erroribus atq; corruptelis, ut ad honores promoueantur, & opes consequantur.

3. Renumerationes pietatis, quas Deus præstat, non esse tantum temporales aut exiguas, sed æternas quoq; & longè amplissimas.

## CXXIII. PSAL=

MVS.

**E**xhortatio est, ut populus & Leuitæ, agnitis Dei innumeris beneficijs, eum publica quoq; uoce celebrent. Nam istum honorem ceu testimonium beneficiorum, Deus à sua Ecclesia requirit. Profani enim non aliter atq; sues sine agnitione & celebratione Dei, summis Dei donis fruuntur, aut potius abutuntur.

Partes sunt tres.

1. In genere omnes in Ecclesia Dei exuscitat ad glorificationem misericordissimi Dei.

2. Leuitas

## IN IS. PSAL. GRADVVM

2. Leuitas imprimis extimulat, qui sua uoce alijs præire debent.
3. Votum pium subiungit, ut Deus toti suæ Ecclesiæ beneficiat.

### DE PRIMA PARTE.

Exuscitatio totius Ecclesiæ Dei, ut Deum laudent.

**Ecce)** Vim exhortandi hîc habet. Nam ingens est ingratitude, ingens torpor humanorum pectorum, in Dei donis agnoscendis & prædicandis. Etiam pij ignauam carnem in sese sentiunt, ideo exuscitatione crebra indigemus.

**Benedicite)** Phrasis. Laudate, celebrate Deum, agite ei gratias. Loquitur autem hîc de publico testimonio. Est autem benedicere Domino agnoscere & expendere eius dona, priuata, publica, interiora, spiritualia corporalia, & hunc autorem benignum laudibus uehere. Hæc pertinent ad 2. præceptum. Sibi autem tribuere uitæ commoda, aut cæcæ fortunæ, aut idoli, est Deo maledicere, ex antithesi.

Benedicere  
Domino.

**Domino)** Iehoua uero Deo, non idolis. Nam Iehoua est creator & sustentor noster.

**Serui)** Tota Ecclesiæ. Nam omnes pij sunt serui Iehouæ, creatione, redemptione, regeneratione obligati, ut Iehouæ isti seruiant, iuxta Normam obedientiæ in Decalogo traditam, cui etiam Euangelium lucem, monstrato propiciatore, affundit.

**Omnes)** Vniuersalis, omnes ad hanc Dei seruitutem obligans. Ratio est, quia omnium Deus, redemptor & conseruator est. Omnia omnes ab isto Iehoua accipimus.

### DOCTRINÆ.

I. Omnes ciues Ecclesiæ Dei, esse **SERVOS** Dei, ac Deo seruitutem debere. Et si enim per fidem in Christum, sunt liberati à maledictione Legis, & quamuis liberati sint ab integra Legis obedientia, tali quidem pacto, ut per eam ipsimet sibi comparent uitam & iusticiam. **Quia Christus**



Christus pro nobis impleuit, cum nos soluendo non essemus: tamen ad filialem seruitutem, iuxta legem Dei sumus obligati, ut nimirum boni fructus bonam arborem testentur. Sic S. Paulus renatus & iustificatus per fidem in Christum, inquit, se **SERVIRE** Legi Dei. Roma: 7.

2. Seruitutem autem Dei esse, Benedictionem Iehouæ, id est, agnitionem Dei & donorum ipsius, & non tantum priuatam, sed etiam publicam eius celebrationem. Hoc quasi genere, complectitur omnes cultus primæ tabulæ Mosaicæ potissimum.

2. Dignitas piorum in Ecclesia Dei, quod sint **SERVI** Iehouæ, eum honorantes & celebrantes. Impij uero extra Dei Ecclesiam, sunt serui Diaboli, Iehoua contumelia afficientes, ut res ipsa probat.

## DE SECUNDA PARTE.

Leuitarum excitatio, ut laudent Deum.

**Qui statis**) Periphrasis Leuitarum & omnium Ministrorum uerbi Dei. Est autem phrasis, stare pro ministrare Regi. Forte à ritu desumpta est locutio, quia Ministri in templo canentes & docentes, suas habebant peculiare stationes. Fortè & hinc consuetudo in nostris templis est desumpta, ut suæ sint in Choro stationes cantantibus Psalmos, & cathedræ concionibus destinata.

Per noctes) Leuit. 8. Num: 15. Nam in templo illo, etiam noctu excubiæ agebantur, & uidentur excubitoribus quadam exercitia Psalmos decantandi imposita esse, ne somno sese dederent. Superstitio autem in papatu, etiam nocturnas uociferationes, præter necessitatem instituit. Alij uespertinas preces intelligunt. Vel intelligatur assidua Dei celebratio.

**Extollite**) Explicatio, quales cultus postulentur à Ministris uerbi Dei, nempe, ut oratione recta & ardenti, toti populo præeant. Loquitur enim hic de conuentu Ecclesiastico.

M

Ad san-

## IN IS. PSAL. GRADUUM

Ad sanctum) Phrasis, ad Sanctuarium. Nam Arca foederis in eo templo stabat, ubi Deus pollicitus fuerat se presentem fore, preces exauditurum, oracula redditurum. Describitur igitur hic oratio seria, ad uerum Deum directa, non ad idolam, non in incertum proiecta. sicut gentes inuocant, aut potius delirant. Notandum autem est, quod non facit mentionem sacrificiorum, quæ tamen & suo tempore, & loco fieri debebant, Sed hunc potissimum cultum inungit Deus.

Benedicere  
Deo.

Et benedicite) Non tantum complectitur gratiarum actionem, pro acceptis beneficijs, sed etiam doctrinam de Deo, institutionem populi, plantationem & propagationem uerbi cælestis. Nam Minister Ecclesiæ benedicit Deo, & laudes eius narrat, quando uerbum eius tradit, explicat, inculcat.

## DOCTRINÆ.

1. Ministros uerbi Dei, in Ecclesia ipsius esse oportere. Non enim omnes in eo cœtu sunt idonei ad docendum & ad defendendam doctrinam cælestem.
2. Officia Ministrorum uerbi Dei. 1. Docere uerbum Dei incorrupte, & recte administrare Sacramenta diuinitus instituta. 2. Orare pro grege sibi commisso. 3. Bono exemplo, celebratione Dei & castis moribus, cœtui reliquo præire.
3. Opera moralia, longè ceremonialibus à Deo anteponi.

## DE TERTIA PARTE.

Votum pro tota Ecclesia Dei. Et cum hætenus in Psalmis graduum, quasi corpus doctrinæ cælestis, de Deo, de Messia redemptione peccatorum, de cruce, de oratione, de Coniugio, Magistratu, alijsq; summis rebus sit comprehensum, hoc Psalmo quasi concludere uoluit, exhortatione ad celebrationem Dei, & hoc ardeni & suani uoto.

Benedicat)

**Benedicat)** Phrasis, qua Dei fauorem, protectionem, gubernationem & omnis generis bona precatur, ex propicia eius uoluntate.

**Iehoua)** Emphasis. Qui est uerus Deus, & uberrimus fons omnis boni.

**Ex Sion)** Loquitur pro ratione eius temporis. Desinit autem uerum Deum, qui promiserat se ibi, ubi Arca foederis erat, habitaturum. Et sic uolebat à reliquis gentilium commenticijs numinibus discerni.

**Qui fecit)** Potentiam eius declarat, quòd hæc omnia in sua manu habeat, & pro suo beneplacito omnibus creaturis utatur. Diabolus, Saturnus, Iupiter, & alia gentium idola, non fecerunt cælum & terram.

DOCTRINÆ.

1. Benedictione Iehouæ, consistere Ecclesiam ueram & politiam, non casu, non sapientia, non fortitudine aut potentia humana.

2. Quoniam sit uerus Deus, nempe ille, qui habitauit in Sion, & fecit cælum & terram. Is uerò est, ut sacræ literæ declarant, Pater, Filius &

Spiritus sanctus, unus essentia, trinus personis. Sic enim sese uerbo & illustribus reuelationibus patefecit. Iste igitur De-

us noster, benedicat nobis. Et nos uicissim ei benedicamus, in æterna usq; secula.

A M E N.



DEO SIT LAUS ET  
GLORIA.

# INDEX.

## Vocum & rerum quarundam explicatarum & similium Index.

|                              |        |   |              |
|------------------------------|--------|---|--------------|
| <b>A.</b>                    |        | <i>Confidere in Domino.</i>                 | 16.          |
| <i>Aedificare domum.</i>     | 21.    | <i>Coniugij autor.</i>                      | 23.          |
| <i>Aestus.</i>               | 4.     | <i>Coniugum pietas.</i>                     | 35.          |
| <i>Aiax.</i>                 | 23.    | <i>Coniugij reputatio.</i>                  | 37.          |
| <i>Anima.</i>                | 14.    | <i>Consolatio in persecutione.</i>          | 12.          |
| <i>Animam ponere.</i>        | 35.    | <i>Contritio.</i>                           | 29.          |
| <i>Anthropophagi</i>         | 13.    | <i>Crucis usus.</i>                         | 35.          |
| <i>Aqua.</i>                 | 12.    | <i>Custodire civitatem.</i>                 | 22.          |
| <i>Arca Domini dignitas.</i> | 38.    | <b>D.</b>                                   |              |
| <i>Arrius.</i>               | 35.    | <i>Davidis humilitas.</i>                   | 34.          |
| <i>Aula pijs infesta.</i>    | 2.     | <i>Dei captura.</i>                         | 9.           |
| <b>B.</b>                    |        | <i>Dei beneficentia.</i>                    | 17.          |
| <i>Balsamum.</i>             | 42.    | <i>Discordia doctorum.</i>                  | 43.          |
| <i>Barach.</i>               | 14.    | <i>Domus Domini.</i>                        | 6.8.         |
| <i>Benedictio Dei.</i>       | 26.43. | <i>Domus seruus.</i>                        | 25.          |
| <i>Benedicere Domino.</i>    | 44.    | <b>E.</b>                                   |              |
| <i>Bonorum autor.</i>        | 43.    | <i>Ecclesiae ciuis.</i>                     | 6.           |
| <i>Boz.</i>                  | 11.    | <i>Ecclesiae crux.</i>                      | 15.27.       |
| <b>C.</b>                    |        | <i>Ecclesiae custodia.</i>                  | 4.27.        |
| <i>Calumniæ.</i>             | 1.     | <i>Ecclesiae defensio miraculosa.</i>       | 13.17.       |
| <i>Cicero.</i>               | 23.    | <i>Ecclesiae &amp; politica coniunctio.</i> | 43.          |
| <i>Concordiæ commoda.</i>    | 42.    | <i>Ecclesiae exilia.</i>                    | 20.          |
| <i>Concordiæ pestis.</i>     | 42.    | <i>Ecclesiae stabilitas.</i>                | 16.          |
| <i>Concordiæ impia.</i>      | 43.    | <i>Egredi.</i>                              | 4.           |
| <i>Confessio necessaria.</i> | 3.     | <b>F.</b>                                   |              |
| <i>Confidentia infelix.</i>  | 23.    | <i>Fidei augmentum.</i>                     | 31.36.       |
| <i>Concordia docentium.</i>  | 42.    | <i>Fidei dignitas.</i>                      | 37.          |
| <i>Concordia politica.</i>   | 42.    | <i>Fidei fulcrum.</i>                       | 32.          |
|                              |        |   | <b>Fidei</b> |

# INDEX

|                                   |     |                                    |         |
|-----------------------------------|-----|------------------------------------|---------|
| Fidei natura.                     | 31. | Labor uocationis.                  | 25.     |
| Fides uita operum.                | 36. | Lachrymæ Ecclesiæ.                 | 20.     |
| Firmare pedes.                    | 3.  | Liberi ualitudinarij.              | 26.     |
| Fraternitas Christiana.           | 42. | Liberi unde.                       | 23.     |
| Funes.                            | 28. | Liberorum dulcedo.                 | 26.     |
| G.                                |     | Lingua dolosa.                     | 1.      |
| Graduum Psalmi.                   | 1.  | Luna radij noxij.                  | 4.      |
| H.                                |     | M.                                 |         |
| Hæreticorum fastus, τερρατολογία. |     | Magistratus autor.                 | 43.     |
| Hermon.                           | 43. | Magistratus necessitas.            | 43.     |
| Heroes unde.                      | 24. | Magistratus officium.              | 43.     |
| Hieronymi error.                  | 41. | Manichæi.                          | 24.     |
| Hostes quomodo uincendi.          | 29. | Mesech.                            | 2.      |
| Hostium Ecclesiæ interitus.       | 28. | Miserere Dei.                      | 10.     |
| Humilitas.                        | 34. | Misericordia.                      | 32.     |
| Humilitatis sorores.              | 35. | Montes.                            | 3.      |
| I.                                |     | Munitiones.                        | 22.     |
| Icarus.                           | 34. | N.                                 |         |
| Ignauia.                          | 25. | Nabuchodonosor.                    | 23.     |
| Illyricus.                        | 35. | Nero.                              | 43.     |
| Imprecationes piorum.             | 29. | O.                                 |         |
| Ingratitudo piorum etiam.         | 44. | Ocium.                             | 23. 25. |
| Ingressi.                         | 4.  | Oeconomica autor, conseruator, fi- |         |
| Iudæorum hostes.                  | 13. | nis.                               | 21.     |
| Iuliani stratagema.               | 15. | Operari iusticiam.                 | 17.     |
| Iusti.                            | 16. | Osiander.                          | 35.     |
| K.                                |     | P.                                 |         |
| Kedar.                            | 2.  | Pacis commoda.                     | 41.     |
| L.                                |     | Panis dolorum.                     | 23.     |
| Laag.                             | 11. | Panis lachrymarum.                 | 11.     |
| Labor.                            | 23. | Pater cœlestis.                    | 9.      |
|                                   |     | Pax.                               | 8. 27.  |
|                                   |     | M 3                                |         |
|                                   |     |                                    | Personæ |

# INDEX.

|                                     |         |  |         |
|-------------------------------------|---------|--|---------|
| Personæ deformatio.                 | 2.      | Sors Dei.  | 16.     |
| Phaëton.                            | 34.     | Stare.   | 45.     |
| Pij exosi.                          | 2. II.  | Superbia.  | 34.     |
| Pij pacifici.                       | 5.      | Superbia theologica.                                 | 12.     |
| Piorum constantia.                  | 20.     | Subannatio.  | 11.     |
| Piorum defensio.                    | 13.     | T.   |         |
| Piorum & Dei confederatio.          | 20.     | Templorum usus.                                      | 8.      |
| Piorum imbecillitas.                | 20.     | Tentationes spirituales & corporales serè coniunctæ. | 14.     |
| Piorum uacillatio.                  | 15.     | Testimonium.   | 7.      |
| Politiarum finis. 6. 8. 22. 27. 43. |         | Timor Dei.   | 24. 31. |
| R.                                  |         | Timotheus Atheniensis.                               | 23.     |
| Redemptio.                          | 33.     | Tob.   | 9.      |
| Regnorum periodus.                  | 22.     | V.   |         |
| Reipub: Iudaicæ finis.              | 7.      | Vacillatio in persecutione.                          | 17.     |
| S.                                  |         | Verbi precium.                                       | 20.     |
| Salus.                              | 8.      | Veritas impatibilis.                                 | 11.     |
| Sanctitas.                          | 38.     | Via Dei.   | 25.     |
| Schalom.                            | 8. 9.   | Vicissitudinis crucis & liberationis.                | 28.     |
| Selbs ist der Man.                  | 25.     | Vita.  | 44.     |
| Seminare.                           | 20.     | Vmbra.   | 4.      |
| Seruitus piorum.                    | 44.     | Vocationis certitudo.                                | 1.      |
| Seruitus Dei.                       | 45.     | Vxor uitis.  | 26.     |
| Si.                                 | 37.     |  |         |
| Sion.                               | 19. 28. |  |         |
| Somnus.                             | 23.     |  |         |

## Erratula.

Sic lege fol. I. b. 16. nihilominus. 3. 24. gentilibus. 6. 30. por-  
 tis antiquitus. 9. b. 29. sui. 12. 19. improbet. 13. Aegyptij. 21. 19. uo-  
 cationis. b. custodia. 23. 2. infelicem. 25. 19. omnis. 27. b. 22. Eccle-  
 sia. 28. 11. concepit. 14. conuersionem. 31. b. 6. obedientiam. 32. b.  
 acceptationis. 34. 19. efferens. b. 24. hominum. 27. subuolantes. 35.  
 19. audium?



IL

SI

DO

cliffm

cri Ro

Baua

15

EX

TO

mini

varia